Spoelder, Cornelis
De Sophoclis Indagatorum fragmentis papyraceis.

DE SOPHOCLIS INDAGATORUM FRAGMENTIS PAPYRACEIS.

VICIT VIM VIRTUS.

C. SPOELDER Jr.

DE SOPHOCLIS INDAGATORUM FRAGMENTIS PAPYRACEIS

DE SOPHOCLIS INDAGATORUM FRAGMENTIS PAPYRACEIS.

DE SOPHOCLIS INDAGATORUM FRAGMENTIS PAPYRACEIS.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

G. KALFF

LITT. HUM. DOCT., IN FACULT. LITT. ET PHILOS. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

CORNELIS SPOELDER Corn. fil.

HARLEMENSIS,

DIE III MENSIS JUNII A. D. MCMXVIII IPSISSIMA HORA IV.

HARLEMI

APUD LOOSJES HEREDES.

MCMXVIII.

OPTIMIS PARENTIBUS.

UXORI CARISSIMAE.

Hoc meo libello multa post intervalla tandem ad finem perducto, dulcis mihi subit recordatio temporis illius per studia mea Lugduni Batavorum peracti; praeceptorum amicorumque longa mihi ante oculos versatur series, quorum iam complures fato abrepti meliorem sunt fortunam secuti, alios ingentibus terrae marisque spatiis remotos vivere tantummodo scio, rarissimos denique coram videre, ut eximium fortunae beneficium, quam maxime gaudeo.

Ante hos omnes Tu animo meo inhaeres, VAN LEEUWEN, *Vir Clarissime, cuius discipulum me fuisse, immo semper fore profiteor atque glorior. Admirabili instructus doctrina, acerrimo praeditus ingenii acumine, miro ornatus animi vigore, Tu mihi, quamdiu vivo, exemplum eris Philologi „perfecti et omnibus numeris absoluti."*

Sed et aequissimus praeceptor, amicus fidelissimus Tu fuisti, Tu nobis praesto eras, numquam quemquam sine bono consilio abs Te dimittere solebas, Tu denique verus nobis Patronus eras.

Pro his omnibus quantum Tibi habeam gratiae, dici non potest: hoc tamen, Magister Reverende, valde spero numquam me Te Tuaque humanitate prorsus indignum memet praebuisse vel praebiturum esse et in posterum quoque tali erga me sis animo, quali antehac fuisti, vehementer opto.

Neque Tui, HARTMAN, *Vir Clarissime, oblivisci potero, qui eandem comitatem, qua me studiosum prosequi solebas, etiam nunc adesse his ipsis diebus tam luculenter ostendebas: litterarum nostrarum amorem, quo ipse instinctus et discipulos meos afficere quotidie mihi est munus illustre nec ingratum, Tibi me debere Tuoque singulari ἐνθουσιασμῷ ex animi sententia confirmo.*

Et Vobis, Oort, Bolland, Hesseling, Holwerda, Boeser, *Tibi quoque,* van Gelder, *qui me, advenam obscurum, tamquam diu iam essem Tuus discipulus, magna benignitate tractavisti, gratias ago quam maximas.*

Non minus autem Tibi, Würtheim, *Promotor aestumatissime, gratias persolvere officium est laetissimum. Iam puer, Gymnasii Harlemensis utrique nostrum carissimi discipulus, tantopere Te reverebar, ut mihi Tua prae ceteris studia colenda esse statuerem. Et hercle semper antiquum obtines! Quo magis Te cognoscere mihi datur, eo magis Te Tuamque indolem suspicio, Te potissimum electum esse, cui Leeuwenius lampada traderet, gaudeo. Quidquid auxilii benevolentiaeque — quamvis ipse muneribus curisque domesticis occupatus — mihi praestare voluisti, ingrato non perdidisti; Tuum esse, si quid forte habeat hic liber utilitatis, grato animo commemoro, semper mente tenebo.*

Tu quoque, Garrer, *vir doctissime necnon humanissime, quo rectore olim discipulus, nunc collega tot vada scopulosque feliciter superavi, pro opera haud exigua, quam et alibi et hocce in libello accurate perlegendo mihi impendere voluisti, gratum me esse scito.*

Omnibus denique, amici, collegae, qui studiis meis quoquo modo favistis, semper me Vestri memorem fore persuasum Vobis habetote.

CONSPECTUS LIBRI.

Prooemium.

Miseras Indagatorum reliquias, pium quas nobis Aegypti solum ante decem fere annos reddidit, si quis obiter inspexerit vel raptim uno tenore perlegerit, nonnulla quidem satis venusta atque haud iniucunda inesse existimabit, sed totum opus eo praesertim, quo est repertum statu et versuum paucitate, non esse eiusmodi, ut egregium historiae litterariae monumentum, clarum artis Sophocleae documentum, magnum denique litterarum Graecarum lucrum sit iudicandum haud dubie declarabit. Itaque non miramur, quodammodo etiam intellegimus exstitisse viros, eosque studiorum nostrorum minime imperitos, qui Cyclopem Euripideum et Indagatores Sophocleos uno eodemque complexi iudicio Atheniensibus fortasse cum spectarent talia placuisse iudicarent, sibi autem hodie legentibus eiusmodi iocos rusticos atque Sophoclis Euripidisque ingenio prorsus indignos displicere fastidiose contenderent.

Attamen si fragmenta iterum atque iterum perlegens penitus ea cognoveris peritorumque interpretatorum adiumento subnixus verborum obscuritatem paulatim discuti, corruptelarum difficultatem diminui si sentias, ita ut lumen et umbra suum sibi locum occupantes spectaculum distinguere videantur, fieri non poterit, quin magno huius opusculi amore imbuaris; etenim et purae linguae lepor iucundus et personarum morumque festiva imago, totius denique compositionis decora simplicitas Sophoclem nobis exhibent sui similem sese praebentem artemque suam vel in satyris a nimia comoediarum scurrilitate defendentem.

Haec iam compluribus aliis visa esse studia nos docent tot

tantorumque virorum de nostris litteris optime meritorum, quorum e numero Wilamowitzium et Robertum prae ceteris nominandos censeo, qui doctrinam suam atque ingenii acumen hisce reliquiis interpretandis dedere voluerunt. Quid, quod Robertus hodiernae scenae fabulam adaptare conatus est et satis eleganti versione etiam Graecae linguae imperitis aditum ad Indagatores patefecit? Tales igitur duces secutus et ego aliquantum operae huic fabulae impendere volui, ut inquirerem necnon definirem, quid tandem esset, quod tantopere me delectaret; qui fieri posset, ut Indagatores alteri huius satyrici generis exemplo praeponerem; quid novi denique nova haec fragmenta nobis afferrent. Meum igitur duxi ut imprimis textum nobis traditum, quo modo esset legendus supplendus interpretandus, statuerem, quae esset linguae compositionisque elegantia, exponerem, simul demonstrarem, quantopere Sophocles moribus depingendis spectantium favorem sibi conciliare conatus sit. Qua in interpretatione quantum aliis debeam, vel singuli versus docebunt. Deinde haud abs re mihi visum est paulisper commorari in tempore, quo fabula nostra scripta sit, definiendo, non quod novi aliquid me prolaturum esse sperem, sed ut variis argumentis in unum collatis, graviora quae sint quaeve leviora, quam accuratissime distinguam atque sic, quae summa huius sit quaestionis, clariore in luce ponam.

De Sophoclis igitur satyris si amplius disputavero, in animo habeo et Cyclopis Euripidei compositionem examinare, hoc ut inquiram, quae habeant duae fabulae diversa, quaeque, utpote totius satyrorum generis propria, inter se communia, uter deinde artifex melius suo sit munere functus spectatorum animos et saltatione et gestibus et facetiis delectandi, qua comparatione et hoc fortasse apparebit iudicium, quod hucusque de dramatis satyricis fecimus, quodammodo esse mutandum.

CAPUT I.

Annotationes criticae et exegeticae ad Sophoclis Indagatores.

Initio fabulae Apollinem scenam intrantem videmus, qui paucis verbis nobis nuntiat, quae ad fabulam bene intellegendam in prologo narrari solent. Non autem nobis apparet ut deus splendens potensque, futuri praescius, sed pastor, qualis erat, cum pater eum *θνητῶι παρ' ἀνδρὶ θητεύειν* cogeret. Sic igitur incipit [1]):

[*Πᾶσιν θεοῖσ καὶ πᾶσι*]*ν ἀγγέλλω* [*β*]*ροτο*[*ῖσ*

[*καὶ . . . . δῶρ' ὑπισ*]*χνοῦμαι τελεῖ*[*ν*

[. . . . . *ἀ*]*πόπροθεν·*

Huntius coniecit tertio versu Apollinis nomen esse supplendum, quod tamen non desiderari omnes post Huntium editores excepto Terzaghio iure intellexerunt, quorum apte confert Buechererus [2]) Alcestidis prologum. Roszbachius [3]) ad verbum *ἀγγέλλειν* obiecto opus esse statuens infeliciter coniecit

vs. 2 sq. *τόδ' ἔργον ἠδὲ δῶρ' ὑπισχνοῦμαι τελεῖν*

εἴτ' ἐγγύθεν τισ εἶδεν, εἴτ' ἀπόπροθεν·

Non enim *τόδ' ἔργον* (cf. vs. 11), sed prorsus aliud quid Apollinem pronuntiare velle ex vs. 36 sqq. satis apparet, nec magis mihi placent verba *εἴτ' ἐγγύθεν κτλ.*, nam spatii haec mentio quid ad praemium propositum pertineat, haud facile dicas. Potius igitur cum Diehlio [4]) et Buecherero textum antiquitus sic fere fuisse credo:

---

[1]) Ubique cito Huntium Oxyrh. Pap. P. IX. 1174.

[2]) Berl. Philol. Woch. 1913. Col. 579.

[3]) Ibid. 1912. Col. 1460.

[4]) Supplementum Sophocleum ed. E. Diehl. Bonn. 1913.

Πᾶσιν θεοῖσ καὶ πᾶσιν ἀγγέλλω βροτοῖσ
καὶ δῶρα χρυσόφανθ' ὑπισχνοῦμαι τελεῖν,
ἄν τισ κομίζῃ τἀμὰ πάλιν ἀπόπροθεν.

5 sq. [. . . .]*τα*[. . . . . *βο*]*ῦσ ἀμολγάδασ*
[*μόσ*]*χουσ* [*τε καὶ νέων νόμευμ*]*α πορτίδων.*

Versus sic ab Huntio restituti eadem fere nobis narrant atque olim apud Hesiodum lecta esse videntur. Cf. verba a Kuipero [1]) ex Hesiodi *Ἠοίαισ* citata: *ἀπελαύνει πόρτιασ δώδεκα καὶ ἑκατὸν βοῦσ ἄζυγασ καὶ ταῦρον, ὃσ ταῖσ βουσὶν ἐπέβαινεν.* At ceteris locis semper *boves solae* nominantur, quam ob rem ea, quae Lud. Koettgen [2]) de *tauro* vs. quarto restituendo disseruit, verisimilia non videntur. Cf. vss. 76, 161, 202; Hymn. Merc. 71 sqq., 106, 116, 190—197.

9. Vocabula *ἀφανῶσ τέχναισιν* non optime inter se cohaerere et *ἀφανῶσ* idem esse quod *λάθραι* iudicat Vollgraffius [3]); collata autem Huntii versione: „wandering in secret far from the cattle's manger, hidden by some artifice," hoc quidem loco nil me offendit. Cum plurali numero *τέχναισιν* Vollgraffius apte comparat Hymn. Merc. vs. 317 *αὐτὰρ ὁ τέχνῃσίν τε καὶ αἱμυλίοισι λόγοισιν | ἤθελεν ἐξαπατᾶν Κυλλήνιοσ Ἀργυρότοξον.*

11. [*δρᾶσ*]*αι τόδ' ἔργ*[*ον ὧδε*] *πρὸσ τόλμαν πεσεῖν.* Annotat Vollgraffius l.l. pag. 82: „Adverbium *ὧδε* admodum languet. Multo praestabit scribere *οὐδέ.*" Nunc autem mihi textus valde languet, qui Huntii supplementum (ad *tantam* pervenire audaciam) optime intellegam, quid autem *πρὸσ τόλμαν πεσεῖν* (audacem se praebere) nostro loco sibi velit, non perspiciam. Nam et deos et homines mortales saepissime *πρὸσ τόλμαν πεσεῖν* Apollinem neque ignoravisse neque obstupuisse censeo. Versum vertit Hunt: „For I would not have thought that any one either of the gods or of the mortal creatures of a day would have dared so far as to do this deed." Ceterum rarius est

---

[1]) Mnemosyne XXXVIII (N. S.), pag. 40.

[2]) Quae ratio intercedat inter Indagatores fabulam Sophocleam et Hymnum in Mercurium qui fertur Homericus. Diss. Inaug. Bonnae 1914, pag. 61 sqq.

[3]) Mnemosyne XLII (N. S.), pag. 81.

πρὸσ τόλμαν πεσεῖν, ubi exspectes potius *εἰσ τι πεσεῖν*, sed cf. Euripid. I. T. 730:

οὐδεὶσ αὐτὸσ ἐν πόνοισ ἀνὴρ
ὅταν τε πρὸσ τὸ θάρσοσ ἐκ φόβου πέσῃ.

et *ἐκφέρεσθαι πρόσ τι* Soph. El. 628, Euripid. Alc. 601.

12. [*ταὐτ'*] *οὖν ἐπείπερ* [*ἔμα*]*θον*, „talia ergo quod nunc expertus sum", sc. *τινα ὧδε πρὸσ τόλμαν πεπτωκέναι.*

ἐκπλαγεὶσ ὄκνωι. Cf. Philoctet. 225 *καὶ μή μ' ὄκνωι δείσαντεσ ἐκπλαγῆτ' ἀπηγριωμένον.*

13 sq. [*στείχ*]*ω ματεύω, παντελὲσ κήρυγμ' ἔχων*
[*θεοῖ*]*σ βροτοῖσ τε μηδέν' ἀγνοεῖν τάδε·*

Vix ferendum est *ἐκπλαγεὶσ στείχω.* Praefero igitur Wilamowitzii supplementum *ζητῶ, ματεύω.*

Παντελὲσ κήρυγμα, i. e. *κήρυγμα* omnibus ex partibus *τέλοσ ἔχον*, praeconium verum, accuratum. Cf. O. R. 930 *παντελὴσ δάμαρ*, uxor vera, legitima; Ant. 1063 *παντελὴσ μοναρχία.* Ibid. 1016 *ἐσχάραι παντελεῖσ* videntur esse arae verae, iustae, i. e. sacrae. Accusativum cum infinitivo sensu finali usurpari posse negans Vollgraffius legit: *θεοῖσ βροτοῖσ τοῦ μηδέν' ἀγνοεῖν τάδε*, qua tamen in coniectura et *ἀσύνδετον* „*θεοῖσ βροτοῖσ*" alibi non obviam et constructio prorsus Thucydidea [1]) fidem mihi facere non possunt. Praeterea non video, cur accusativus ille cum infinitivo a textu nobis traditus usurpari non possit, cum equidem sic potius explicem, ut verbis *μηδέν'* — *τάδε* praeconium ipsum oratione, quae dicitur obliqua, nobis enuntietur, quod sic fere fuit: „Scito, quisquis deorum hominumque verbis meis adest, quae praemia daturus sim". Cf. e. g. Herodot. VIII. 41. *μετὰ δὲ τὴν ἄπιξιν κήρυγμα ἐποιήσαντο Ἀθηναίων τῆι τισ δύναται, σώιζειν τέκνα τε καὶ τοὺσ οἰκέτασ.* Ibid. V. 92. *κήρυγμα ἐποιήσατο ἐσ τὸ Ἡραῖον ἐξιέναι πάσασ τὰσ Κορινθίων γυναῖκασ.* Aristophan. Pac. 311 sq. Xenoph. Hell. V. 4. 8.

15. [*ἀκολο*]*υθίαι γὰρ ἐμμανὴσ κυνηγετῶ.*

Vocabulam *ἀκολουθία* [2]), quod Wilamowitzii ingenio debe-

[1]) Thucydid. I. 4. *τό τε λῃστικόν, ὡσ εἰκόσ, καθήιρει ἐκ τῆσ θαλάσσησ, ἐφ' ὅσον ἐδύνατο, τοῦ τὰσ προσόδουσ μᾶλλον ἰέναι αὐτῶι.* Cf. I. 23. 5; II. 22. 1; II 75. 1.

[2]) Cf. Bekk. Anecd. 367. 32. *ἀκολουθία – ἡ ἀκολούθησισ. Σοφοκλῆσ.*

mus, quam aptum hic praebeat sensum, neminem, opinor, latet. Coll. Xenoph. Cyn. X. 5: „*ἐπειδὰν δὲ λάβηι αὐτοῦ τὰ ἴχνη, ἕπεσθαι ἑξῆσ τῆι ἰχνεύσει ἡγουμένηι ἀκολουθίαι.*" Vollgraffius *ἀκολουθίαν* esse agmen canum venaticorum, quibus comitatus Apollo in scenam intraverit, lepidius, ut mihi videtur, quam verius coniecit. Nam fac ex loco Xenophontis obscurrissimo hanc *ἀκολουθίασ* significationem elici posse, quod ego non credo, fac annotationem ex Bekk. Anecd. modo citatam hinc alienam esse, prorsus non intellego, quem praebeat sensum vox *ἀκολουθία* (canum caterva) sive cum *ἐμμανήσ* sive cum *κυνηγετῶ* coniuncta neque demonstrativo pronomine (*τῆιδε τῆι ἀκολουθίαι*) careri posse credo.

16—32. De Apollinis itinere.

Coll. hymn. Merc. 186 *Ὀγχηστόνδ' ἀφίκανε κιών*, 191 *βοῦσ ἀπὸ Πιερίησ διζήμενοσ ἐνθάδ' ἱκάνω*, 228 *Κυλλήνησ δ' ἀφίκανεν ὄροσ* cognoscimus in hymno Apollinem boves suas persequentem inde a Pieria per Onchestum ad montem Cyllenen perrexisse. Quam autem stulte et incerte totum hoc itinerarium compositum sit, nemo clarius docuit quam Kuiperus in Mnem. XXXVIII (N. S.) pag. 1 sqq., ubi, solidis nisus argumentis, optimo iure conclusit hymni auctorem, topographiae imperitum, certum iter describere nec potuisse nec voluisse, sed ut pia mente vetustiores mythi formas adhuc in aequalium memoria haerentes quoquo modo colligeret, sibi proposuisse. Quod si constat, Sophoclem hac in re hymno exemplo usum non esse facile intellegitur, nam argumento apte cohaerente atque narratione a veris non nimium distante opus est ei, qui iustam materiem in pulpito exhibere velit, quod certe poeta non fecisset, si hymni ordinem auditoribus probare voluisset. Sed iam Sophoclei Apollinis iter inspiciamus et primum statuamus, ubinam prata illa fuerint, *ἔνθα θεῶν μακάρων βόεσ ἄμβροτοι αὖλιν ἔχεσκον*, nam inde Apollinem iter incepisse nemo non videt. Hymni auctorem pascua in Pieria locavisse iam supra diximus, sed ceterae mythi versiones vulgo Pheras Thessalas agrumque Admeti nominant. Itaque vel hinc vel illinc Apollinem *ἐμμανῆ κυνηγετῶντα* et *παντελὲσ κήρυγμ' ἔχοντα* iter ingressum esse constat. Errat deinde per varias gentes variasque per regiones, quarum nomina textus traditus satis obscure sic nos docet:

[*Θρᾳκ*]*ῶν δ' ἐπῆλθ*[*ο*]*ν φ*[*ὺ*]*λα τ*[*οῦ*] *παντὸσ στρα*[*τοῦ* [1])
[*ἀλλ' οὔ*] *τισ* [. . . .] . [
× × × × × × × × × × × × ×
[ ]σ[
[. . . . .]λ[ ]*κιο*[2])[,
[. . . . .]*ισ*[*ἔ*]*πειτα* [*δὲ*
[*τ*]*ὰ Θεσσαλῶν* [*τ' ἔγκαρπα πεδί' ἐ*]*πεσσύθην*
Βοιωτίασ τε γ[*ῆσ πολυκτήτου*]*σ* [*πό*]*λ*[*εισ*,
[*ἔπει*]*τα δ'*[ ] . [
Desunt versus fere quattuor.
[. . . . .]σ *Δωρικο*[
[. . . . . *γεί*]*τον', ἔνθ*[*εν*
[. . . . .] *ἥκω ξυν*[.]*α*.[
[. . . . . *Κυλ*]*λήνησ τε δύ*[*σβατον*
[. . . . .] *τε χῶρον ἐσ δ' ὑ*[

En verba oraculo vel potius miraculo simillima, proficiscitur Apollo aut Pheris, quae est urbs Thessalica aut a Pieria, quae monte Olympo a Thessalia seiungitur, longissime tum vagatur, donec tandem vs. 21 . . . . . semper in Thessalia versatur. Ergone contra omnes mythi formas, quas novimus, nec a Pieria nec Pheris Apollo iter incepit? Minime credo, sed prorsus alio modo hoc aenigma solvi posse puto. Etenim Sophoclem veros vagationis labores curasque describere voluisse quam persuasissimum mihi habeo. Non statim igitur Onchestum Apollo profectus est, ut peropportune mox in boves suas incideret, sed primum ad Septentriones [3]) aut Orientem versus regiones diversissimas pererravit; hae investigationes, vss. 16—20 nobis enarratae, postquam in cassum ceciderunt, ad locum, unde venerat, rursus se contulit, quem aut Pheras fuisse aut Pieriam supra statuimus. Uter tamen horum locorum fuerit, hoc quoque facile discerni potest. Nam poeta si Pheras initium itineris esse voluisset, numquam locum, unde denuo Apollo iter inciperet et locum, per quem deinde tantummodo transiret, i. e. Boeotiam, nuda coniunctione *τε* inter se iunxis-

[1]) *στρατόσ*, i. e. *λεώσ*. Cf. Jebb ad Trach. 795.
[2]) *κιο*. Latet fortasse adiectivum nominis proprii.
[3]) Probabilis igitur videtur Wilamowitzii coniectura vs. 16 *Θρᾳκῶν*.

set, sed potius sic fere enuntiasset: ἐπεὶ δ'αὖ τὰ Θεσσαλῶν [. . . .] ἐπεσσύθην, τ ό τ ε δ ή Βοιωτίασ κτλ. Sic restat, ut Sophocles cum hymno Homerico boves in Pieria pastas indeque ab Herme raptas finxisse videatur; a Pieria quascumque in partes, non tamen ad meridiem versus, Apollo vagatus est, tum infecta re in Pieriam rediit, quae omnia vss. 16—20 legi olim poterant; hinc deinde animo non demisso Thessaliam Boeotiamque petivit (vss. 21 sqq.). Ceterum denique iter Apollini non tam male processisse miserae itinerarii reliquiae conicere tantummodo sinunt. Nam quattuor fere versibus intermissis, quorum nil nisi spatium nobis tempus reliquit, vs. 28 legitur Δωρικο, quod de Peloponneso, i. e. terra Dorica, dictum esse Vuerthemius me monet [1]).

Per Peloponnesum autem si quis tendat a Boeotia ad montem Cyllenam, facere non potest, quin Atticam tangat et Corinthum, quarum urbium in versibus deperditis mentionem factam esse Diehlius [2]) coniecit.

Haec omnia si vera disputata sunt, facile apparet, quanto Indagatorum fabula hac a parte praestet hymno Mercurii, ubi Apollo verus „Fortunae filius" statim Ὀγχηστόνδ' ἀφίκανε κιών, deinde nulla mora ἐσσυμένωσ ἐσ Πύλον ἧιξεν et vestigiis tum demum agnitis „vestigiorum artificio nimirum commotus", ut lepidis Kuiperi verbis utar, iter Pylium reliquit et pervenit ad montem Cyllenam. Quanto magis laboravit atque sudavit Apollo ille Sophocleus, cui tota Graecia multisque aliis regionibus peragratis tandem dedit fortuna invitissima, quae tam diu summa cura frustra quaesivisset. Delectamur certe poeta, qui prudenti consilio tam bene intellexit, quae theatrum a se exigeret.

33 sqq. [⏑—⏑ ποι]μὴν εἴτ' ἀγρωστή[ρων τισ ἢ]
[μαριλοκαυ]τῶν ἐν λόγωι παρ[ίσταται]
[ἢ τῶν ὀρ]είων νυμφογεννή[του γένουσ]
[θηρῶ]ν τίσ ἐστι, πᾶσιν ἀγγέλ[λω τάδε.]

[1]) Pearsonius (the fragments of Sophocles, Cambridge 1917) apte confert O. C. 695 ἐν τᾶι μεγάλαι Δωρίδι νάσωι Πέλοπος et schol. ad O. R. 775 Δωρίο = Πελοποννησιακή.

[2]) Supplem. Soph. ed. Diehl. pag. 4.

Infelicissimam coniecturam [1]) ipse retractans [2]) Vollgraffius pro παρίσταται (vs. 33) haud male substituit πάρεστ' ἀνήρ vel πάρεστι νῦν, cf. Aristophan. Av. 30; Acharn. 513; (Euripid.) Rhes. 149. At restat, ut vs. 36 ἔστι sic nude positum, quid sibi velit, non satis intellegam, sed verbi audiendi participium, quod dicitur praesens, desiderari pro certo habeam. Cum Vuerthemio igitur lego: ἐν λόγωι κλύων πάρα.

38. τοὐδ' αὐτόχρημα, quod mavult Buechererus [3]), idem esse ac τῶιδ' αὐτόχρημα ex Lex. Soph. ab Ellendtio editum apparere annotat Muenscherus in Mus. Rhen. 1914, pag. 170.

De voce αὐτόχρημα, „prorsus", „revera" (belg. vast en zeker) cf. Aristophan. Equit. 78 ὁ πρωκτὸσ ἐστιν αὐτόχρημ' ἐν Χάοσιν. Praeterea a Leeuwenio citantur adesp. fragm. 26 αὐτόχρημα Χαιρεφῶν, fr. 1525 αὐτόχρημα' κακόν, Lucian. LXXIII § 13 κλύδωνα αὐτόχρημα θαλάττιον.

39 sqq. Vix clara vox Apollinis conticuit, cum subito anhelans, celeri cursu sese ferens, vir iam grandaevus in scenam ruit. Cultus eius atque vultus, sed praecipue comites Satyri [4]), quis sit, manifesto demonstrant. Itaque nomen suum edere supervacuum habens statim blandis verbis deum alloquitur affirmans propere se venisse, ut strenuus fiat deo adiutor, dummodo — et apparet non solum reverentia et pietate motum eum venisse, — dummodo Apollo fidem det se quae proposuerit revera esse daturum. Praeterea maiora etiam petiisse videtur, nam *libertatem* ei et fortasse comitibus promissam esse ex corrupto Apollinis responso (vs. 57) effici potest.

39. σοῦ φώνημα τῶσ ἐπέκλυον. De vocabulo τῶσ cf. Ind. 288, 296; Aristophan. Acharn. 762, ubi Megarensis dialecto loquitur; Aeschyl. Sept. 484, 637; Hik. 70, 678; interpolat. in Soph. Aiac. vs. 841; Leeuwenius Enchir. dictionis epicae [5]) pag. 210.

---

[1]) Mnemos. XLII (N. S.), pag. 83. [2]) Ibid. XLII, pag. 72.

[3]) Berl. Phil. Woch. 1913, col. 580.

[4]) Wilamow. Sonderabdruck aus dem XXIX Bande der Neuen Jahrb. pag. 7: „Es ist keine Parodos, denn so viel ist kenntlich, dasz sie bereits wissen, was sie sollen und was ihnen dafür versprochen ist, *also sind sie klanglos mit dem Vater herangekommen.*"

[5]) Editio altera aucta et emendata. Lugd. Bat. 1918.

40. *ὀρθίοισι σὺν κηρύγμασι.* Cf. Soph. El. 683 *ὀρθίων κηρυγμάτων,* Antig. 1206.

44. *κυνηγέσω* et vs. 75 *ἐκκυνηγέσαι.* De verbo *κυνηγέσσειν* (cf. *ἐρέσσω, πυρέσσω*), unde hae formae originem trahant, lectu sunt dignissima, quae protulit Maasius. Berl. Phil. Woch. 1912, 1076. Cf. et editionem Pearsonianam.

45. *τ[ό]τ᾽ ἄγγε[λό]σ* [1]) *μοι κείμενον χρ[υ]σὸ[ν σ]τέφε.*

Cf. 38 *μισθὸσ ἔσθ᾽ ὁ κείμενοσ.* Redit aurum vs. 72 *ἀρίζηλα χρυσοῦ παραδείγματα* et vs. 156 *πλοῦτον δὲ χρυσόφαντον,* cf. 50, 202. Quale hoc aurum nobis sit cogitandum, non satis liquet. Robertus [2]), quem sequitur Muenscherus [3]), coronam praemio datam esse credit, quod coll. verbo *στέφειν* satis verisimile videretur, nisi vs. 157 *ὑμὶν* obstaret, unde aurum aequis partibus dividendum ita, ut sua quisque auferret, ab Apolline promissum esse apparet. Nummos igitur Apollinem distribuisse credamus? Mirum non esset, nam de aureo *νομίσματι* etiam Cyclop. 160 sq. agitur, ubi legimus:

Ὀδ. πρὸσ τῷδε μέντοι καὶ νόμισμα δώσομεν.
Σι. χάλα τὸν ἀσκὸν μόνον· ἔα τὸ χρυσίον.

nec obstaret verbum *στέφειν,* quod utique tenendum est et de aliis muneribus usurpari solere. Cf. Aiac. 93 *καί σε παγχρύσοισ ἐγὼ | στέψω λαφύροισ τῆσδε τῆσ ἄγρασ χάριν,* Ant. 431 *χοαῖσι στέφειν,* El. 53, 458, Aeschyl. Sept. 50, 264 (ubi eadem constructio ac nostro loco reperitur: *ἐσθήματα στέψω ἁγνοῖσ δόμοισ*).

Vox *ἄγγελοσ* quid significet non video; neque Terzaghius coniciens *στέφει* et vertens: „allora un araldo m'incoroni dell'oro che tu hai pronto", neque Muenscherus legens *τότ᾽ ἀγγέλωι μοι κτλ.* satis explicaverunt, cum non uni Sileno *τοῦ εὐαγγελίου ἕνεκα,* sed omnibus potius Satyris *τῆσ ἄγρασ χάριν* aurum promittatur. Itaque praestat fortasse, quod reiecit Diehlius:

τὸ γὰρ γέρασ (quod ductum litterarum sinere modo annotavi)

---

[1]) The first of the two gammas is not quite clear and may possibly be *ρ* or *σ*. (Hunt.)

[2]) Herm. 1912, pag. 550[1]).

[3]) Mus. Rh. 1914, pag. 170 sqq.

μοι κείμενον χρυσὸν στέφε (vel *χρυσοστεφὲσ*[1]) cum Pearsonio). Cf. Rhes. 169 *Χρυσὸσ πάρεστιν, εἰ τόδ' αἰτήσει γέρασ*, ubi, eodem modo atque nostro versu, aurum praemio (*μισθῶι*) datum *γέρασ* nominatur. Cf. Rhes. 161 *πονοῦντα δ'ἄξιον μισθὸν φέρεσθαι*, 165 *τάξαι δὲ μισθόν.*

57. De Sileni chorique servitute cf. quae mox legentur ad vss. 218 sq.

61. *ὢ, ὤ. σέ τοι* [Cf. Aristophan Av. 274 *ὤ σέ τοι* (sc. *καλῶ* vel *λέγω*), Soph. Aiac. 72, 359, 1228. El. 1445, O. C. 1578. Aristophan. Ran 171.

70. *συνάμα* (vel potius cum Pearsonio *ξὺν ἅμα*) *θεὸσ ἀνέτω*, cf. Ar. Equit. 229 *χὠ θεὸσ ξυλλήψεται.*

73 sq. *θεοὶ Τύχη καὶ δαῖμον ἰθυντήριε. Τύχη* i. e. *Τύχη ἀγαθή*, cf. O. R. 1080. Diversa est *τύχη*, quae legitur Euripid. Cycl. 606 sq., Soph. O. R. 977, Ant. 1158 sq.

De verborum lusu *Τύχη-τυχεῖν* cf. Bacchyl. VI. *Λάχων-λάχε*, Platon. Symp. 185 C: *Παυσανίου παυσαμένου.*

77. *τῶν εἴ τισ ὀπτήρ ἐστιν κτλ.* Silenum, et ipsum praeconis partibus fungentem, spectatores alloqui recte sensit Robertus[2]), quod cur offendat Vollgraffium[3]), non intellego. Iudicat autem v. c. iocum esse scurrilem et potius comoediae aptum. Ergone lepidus iocus, quo Aristophanes[4]) saepius spectatores delectaverit, satyris indignus est aestimandus? Praeterea conferantur, quae infra ad vs. 81 citavi.

79. Legitur in papyro *προστελὴσ εὐεργέτησ*, quod librarii errore ex versus praecedentis adiectivo *προσφιλήσ* originem ducere statuit Huntius. Proposuit igitur *συντελήσ*, quod quid significet, equidem non video. Prorsus autem mihi placeret *παντελήσ* et

---

[1]) It is not certain at the end of l. 18 that *φε* was not followed by some other letter. (Hunt.)

[2]) Herm. 1912 pag. 542. [3]) Mnem. XLII, pag. 83.

[4]) E.g. Av. 30, Eq. 36 sqq., Vesp. 54 sqq., Pac. 50.

a Pearsonio in textum receptum, qua de voce vid. ad vs. 13. De *προσφιλὴσ* et *εὐεργέτησ* cf. Euripid. Med. 1127:

ἐν δ' εὐεργέταισ
τὸ λοιπὸν ἤδη καὶ φίλοισ ἐμοῖσ ἔσει.

81. *μήνυτρα.* Cf. Hymn. Merc. 264 (364) *οὐκ ἂν μηνύσαιμ', οὐκ ἂν μήνυτρον ἀροίμην.* Rectissime scripsit Allegrius (Revue des Etud. Anc. 1913, pag. 248): „Ces deux vers n'éveillent-ils pas, ne serait-ce que par l'emploi des termes consacrés *μηνύω*, *μήνυτρον* l'image de quelqu'une de ces scènes populaires, où la victime d'un larcin adressait un appel à tous pour l'aider à rentrer en possession de son bien? Ces termes ont pu suffire pour évoquer dans l'esprit de Sophocle une scène de ce genre; et, dans un oeuvre qui ne vise qu'à la bonne humeur, il l'aura reproduite sans s'embarrasser de trop de scrupules, certain d'intéresser le public en lui rappelant un des petits évènements de la vie journalière. Il complète cette scène quelques vers plus bas en se tenant encore plus près de la réalité: Silène, interpellant les spectateurs avec une familiarité, qu' Apollon ne pouvait se permettre, les invite à dénoncer le voleur et engage avec eux un dialogue dont lui seul fait ailleurs tous les frais." Cf. vs. 291—305.

87. *ἄγ' εἶα.* Cf. Arist. Ran. 394, Plut. 316, quos immerito tentatos esse hinc apparet.

90. Sanum mihi videtur *δίπλουσ ὀκλάζων.* Cf. Euripid. El. 492 a Vollgraffio laudatum: *διπλῆν ἄκανθαν καὶ παλίρροπον γόνυ.* Wilamowitzius mavult *δίπουσ ὀκλάζων*, quae tamen coniectura, quamvis elegans, necessaria non est. De verbo *ὀκλάζειν*, *genibus flexis considere* cf. O. C. 196 *λέχριόσ γ' ἐπ' ἄκρου λᾶοσ βραχὺσ ὀκλάσασ*, Leeuwenium ad Aristophan. Equit. 1384, Valckenaerium ad Phoeniss. 642 sq.

91. *ἐν χρῷ.* Cf. Aiac. 786 *ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο μὴ χαίρειν τινά*, Thucyd. II 84 *ἐν χρῷ, ἀντὶ τοῦ πλησίον* (schol.).

93 sq. Inter versum 93 (*ἅπαντα χρηστὰ κτλ.*) et 94 aliquod

temporis spatium intercedere, dum Satyri ὀκλάσαντεσ diligenter investigant iure observavit Wilamowitzius [1]).

94—118. Quae vestigia Satyri agnoverint.

In fabula satyrica, Ἰχνευταί quae dicitur ipsam investigationem amplissimis verbis esse descriptam et utique inter eas res habendam, de quibus strictim agi non possit, nemo non intellegit, praesertim cum videat et hymnum Mercurii hac de re plurima nobis offerre, quae, quamvis intricata, ad nostram fabulam explicandam sint utilissima. Incipiamus igitur ab hymno et versus ad investigationem vestigiaque pertinentes citemus [2]):

75. *Πλανοδίασ δ' ἤλαυνε διὰ ψαμαθώδεα χῶρον,*
ἴχνε' [3]) *ἀποστρέψασ· δολίησ δ' οὐ λήθετο τέχνησ,*
ἀντία ποιήσασ ὁπλάσ, τὰσ πρόσθεν ὄπισθεν,
τὰσ δ' ὄπιθεν πρόσθεν· κατὰ δ' ἔμπαλιν αὐτὸσ ἔβαινε.
σάνδαλα δ' αὐτίκα ῥιψὶν ἐπὶ ψαμάθοισ ἁλίῃσιν
ἄφραστ' ἠδ' ἀνόητα διέπλεκε, θαυματὰ ἔργα κτλ.

Tria hic agnoscimus artificia, quae Hermes ad Apollinem fallendum adhibuit:

1°. πλανοδίασ — ἀποστρέψασ. Boves circumducit, ut vestigia modo huc modo illuc versa inter se confundantur, „they were driven by crooked ways." (Allen and Sikes.). Rectissime igitur Koettgenia l.l. pag. 49 de voce πλανοδίασ observat: „Poeta, ni fallor, verbo πλανοδίασ proprio sensu usus aberrationem quandam a recta via designavit; cum πλάνη, πλανάομαι hanc vocem cohaerere Schulze docuit." Quae autem addit: „id est deverticula, tramites secretos et occultos, per quos fures effugere solent" a propria vocis significatione prorsus aliena videntur. ἴχνε' ἀποστρέψασ nihil aliud sibi velle nisi „pedes retro flectens, retro torquens" eadem contendit pag. 48, committens, si quid video, eundem errorem, quem apud Schol. Arist. Pac.

---

[1]) Sonderabdruck. pag. 8.

[2]) Cito ex editione Sikesiana (Allen and Sikes. The Homeric Hymns. London 1904).

[3]) Cod. ἴχνη, ἴχνι' Hermann. Praefero ἴχνε' cf. Hom. N 71, τ 436.

vs.279 (ἀποστραφῆναι τοῦ μετιόντοσ τὼ πόδε) invenimus, ubi tamen „*aliorsum vertere*", non „*retorquere*" (Schol. διαστραφῆναι, κλασθῆναι) verbum ἀποστρέψαι valere docet Leeuwenius. Itaque et nostro loco ἴχνε' ἀποστρέψασ idem esse ac *vestigia* (a recta via) *avertere*, verba igitur explanationem esse τοῦ πλανοδίασ ἐλαύνειν pro certo habeo.

2°. ἀντία — ἔβαινε. Cum Gemollio Sikesio Kuipero e Graecis verbis paulo obscurius dictis equidem intellego boves praeposteras ductas esse, ut „cauda in speluncam tractas versisque viarum indiciis raptas" ad prata sua remeare videantur. Ipse autem solito modo, ταῖσ βουσὶν igitur κατεναντίον (= κατὰ ἔμπαλιν) grassatur.

3°. mira utitur calceamentorum specie, ut incessus celeritate iter acceleret. (Cf. 85 sq.).

Koettgenia vss. 77 sqq. ita intellegendos putat, ut „priorum ungularum priores orae introrsum, posteriorum extra flecterentur; hoc enim modo deus τὰσ πρόσθεν ὁπλὰσ ὄπισθεν, τὰσ δ' ὄπιθεν πρόσθεν faciebat; nam quarum ungularum priores orae bifidae extra versae sunt, hae priores appellari solent" (l.l. pag. 50). Vereor autem ne hac flexione non boum pedes solum, sed multo magis etiam verus verborum sensus retorqueatur [1]).

Tria [2]), quae statuimus artificia iterum nobis obveniunt vss. 219 sqq.:

[1]) Eiusdem generis ars est, qua Robertus (Herm. 1912, pag. 546) Mercurium infantem usum esse credit: „Die letzten beiden Verse können nur so verstanden werden, dasz Hermes die Vorderklauen hinten und die hinteren vornhin setzt. Die Richtung der Spur wird dadurch allerdings nicht geändert, aber der suchende wird durch die perverse Gestalt der Fährte dupirt....." Sic autem vss. 221 et 345 cum versibus disputatis adversis frontibus pugnare et ipsum Robertum non fugit (pag. 546): „Wegen des hervorgehobenen Widerspruchs hat man mit Recht die vss. 77 sq. als späteren Zusatz ausgeschieden".

[2]) Compluribus interpretatoribus (e. g. Hermanno Matthiaeo), qui tria haec artificia una coniungi posse non putent et alius aliud interpolatori tribuant, non assentior, immo optime haec artificia uno tempore adhibita esse censeo ita, ut deus ipse sandaliis instructus pergeret, boves autem, πλανοδίασ ἐλαύνων, retroversus ageret. Sic nullum vitium diasceuastae alicuius vel ipsius poetae „multa atque inter se diversa congerentis" (sic Kuiperus Mnem. 1910, pag. 28) nos offendit.

Ὦ πόποι, ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι·
ἴχνια μὲν τάδε γ' ἐστὶ βοῶν ὀρθοκραιράων,
ἀλλὰ πάλιν τέτραπται ἐσ ἀσφοδελὸν λειμῶνα·
βήματα δ' οὔτ' ἀνδρὸσ τάδε γίγνεται οὔτε γυναικόσ,
οὔτε λύκων πολιῶν οὔτ' ἄρκτων οὔτε λεόντων·
οὔτε τι κενταύρου λασιαύχενοσ ἔλπομαι εἶναι,
ὅσ τισ τοῖα πέλωρα βιβᾷ ποσὶ καρπαλίμοισιν·
αἰνὰ μὲν ἔνθεν ὁδοῖο, τὰ δ' αἰνότερ' ἔνθεν ὁδοῖο.

1°. vs. 226 vestigia turbata significant cf. vs. 357.
2°. vs. 220 sq. congruunt cum versibus 77 sqq.
3°. vss. 222—226 sandaliorum signa nobis depingunt.

Etiam vss. 342 sqq. huc pertinent, quorum versuum, quamvis molestiis haud carentium, sensus tamen in obscuro non est.

Nunc autem has Mercurii artes memoria tenentes ad *Ἰχνευτάσ* redeamus atque eum locum consideremus, ubi Satyri magna spe praemii incitati tantopere profecerunt, ut boum raptorisque vestigia animadverterint et persequantur: iam propius propiusque ad locum, ubi boves latent, accedunt, cum subito chori pars mirans exclamat vs. 111:

ἔα μάλα.
παλινστραφῆ τοι ναὶ μὰ Δία τὰ βήματα·
εἰσ τοὔμπαλιν δέδορκεν αὖ· τάδ' εἴσιδε.

„Adspicite, sodales, revertuntur iam vestigia!"

Quo clamore audito altera chori pars parvo spatio remota appropinquat et se quoque novam signorum rationem valde mirari profitentur: „*τί ἐστὶ τουτί; τίσ ὁ τρόποσ τοῦ τάγματοσ; εἰσ τοὔπίσω τὰ πρόσθεν ἤλλακται*", quorum ultima verba nihil aliud, si quid video, significant nisi „quae modo a fronte erant, nunc loco mutato pone videntur" i. e. vestigia sunt versa, quod prorsus eodem redit atque versu superiore: *εἰσ τοὔμπαλιν δέδορκεν αὖ*. Quae cum explicatio simplicissima videatur, operae tamen pretium est paulisper in Roberti interpretatione commorari, qui loco supra citato haec scripsit: „Sophocles aber hat entweder die Verse (sc. hymn. Merc. 77 sq.) anders verstanden (sc. atque Robertus) oder das Motiv umgebildet; denn bei ihm *dreht Hermes einem Teil der Rinder die Vorderhufe nach innen, einem anderen* (τ ὰ δ ' α ὖ) *die Hinterhufe nach auszen*, so dasz in dem ersten Falle

die Hufenpaare einander zugekehrt, in dem zweiten voneinander abgewandt sind.... Aber die Meinung der Hymnosverse kann das nicht sein; sonst müszte dastehen *ἀντία ποιήσασ ὁπλὰσ, τῶν μὲν τὰσ πρόσθεν, τῶν δὲ τὰσ ὄπισθεν ὀπίσσω.* Da nun ein solches Miszverständnis dem Sophocles nicht zuzutrauen ist, so wird man sich für die zweite Eventualität entscheiden, dasz er das Motiv bewuszt umgebildet und dadurch entschieden verbessert hat." Deinde pag. 547: „Einen Teil der Herde läszt er rückwärts gehen. Dessen Spuren entdeckt der erste Halbchor: *παλινστραφῆ τὰ βήματα. Einem zweiten Teil kehrt er die Vorderhufe nach innen: εἰσ τοὐπίσω τὰ πρόσθ᾽ ἤλλακται, einem dritten die Hinterhufen nach auszen: τὰ δ᾽ αὖ ἐναντί᾽ ἀλλήλοισιν.*"

Ultima verba autem non sic sunt interpretanda, sed utique vertenda: „atque haec quidem rursus *inter se* contraria...." Ceterum haec omnia admodum perplexa esse atque nimis exquisita, quam ut vera esse possint, quis non videt! Id tamen addere volo Roberti explicatio si vera esset, vocem ungulam (ὁπλή), utpote in descriptione tam intricata, aliquotiens profecto adhibendam fuisse: ut nunc textus sese habet, ex eo Roberti explicationem quoquo modo elici posse nego. Sequitur, ut etiam conclusionem eius reiciamus: „man wird sich für die zweite Eventualität entscheiden, dasz er (Sophocles) das Motiv bewuszt umgebildet und dadurch entschieden verbessert hat" et ipsi potius concludamus artificium illud Ichn. vss. 122 sqq. (παλινστραφῆ-ἤλλακται) nobis descriptum cum hymni vss. 77 sq. quam maxime congruere. Neque magis mihi arridere potest Koettgeniae explicatio, quam non tam verbis traditis suoque ingenio quam artis veterinariae doctrina usa nobis obtulit. Quid enim est? Docuit eam vir quidam doctissimus artisque veterinariae peritissimus haec: „Animalia solidipedia et bisulca adulta, solito dum utuntur incessu, posteriorem quemque pedem in respondentis — id est ab eodem latere — prioris vestigio ponere solent; anterioris igitur cuiusque ungulae impressio comprehendit et posterioris vestigium, cuius ora alteram non accurate complexa, sed vel ad dextram vel ad sinistram mutata corporis et membrorum indicat figuram a norma desciscere. Iuvenum autem

animalium pedes posteriores, molliores, mobiliores, graciliores trans priorum vestigia terram attingunt, quaterna igitur singulis gradibus faciunt vestigia, quorum priora ex posterioribus ungulis orta sunt." (Pag. 52 sq.). Omnia, quae hic exscripsi, vera esse infitiari non ausim, sed identidem mecum rogo, qui tandem fieri potuerit, ut harum rerum notitiam, quam et Koettgenia et omnes fere, credo, Musarum cultores quam maxime ignotam sibi habeant, „Sophocles sine dubio et et ipse haberet et spectatores habere non ignoraret".

Hisce autem tamquam fundamento nisa sic conclusit: „Posteriores ungulae retortae revera anteriorum βήματα bifida priore ora rotundatae posteriori impressa et invicem in retro spectantia permutare poterant; verbis εἰσ τοὐπίσω τὰ πρόσθεν ἤλλακται satyri quid hac actione effectum sit, aptissime exprimunt; vident enim priora, i. e. anteriores vestigiorum partes, in retro pertinentia conversa. Iuvencarum autem et vitulorum vestigia ungulis posterioribus retro flexis necessario inter se obvia et innexa esse, in contrarias partes ferre satyris intuentibus videntur: τὰ δ' αὖ ἐναντί' ἀλλήλοισι συμ-[πεπλεγ]μένα. Nam priori anterioris cuiusque vestigii orae bifidae opposita est respondens posterioris."

Hanc explicationem Robertiana, de qua modo egi, multo magis esse implicatam quivis mihi concedet, quin etiam ne sagacissimum quidem sive venatorem sive pastorem sive alium quendam callidum ἰχνευτήν, in theatro cum spectaret, eiusmodi rerum verborumque consilium perspexisse mihi persuasum habeo.

Sed iam tempus est post hanc longiorem digressionem Satyros investigantes repetere et una cum iis signa persequi. Vixdum igitur alterum hemichorium comitum verbis admonitum vestigia illa retro spectantia animadvertit, cum subito nova res oculis eorum obicitur: τὰ δ' αὖ ἐναντί' ἀλλήλοισι συμ-[πεπλεγ]μένα [1]). Quorum verborum veram significationem multo melius quam Robertus perspexit Huntius sic vertens: „again they are entangled in opposite directions." Non diutius ergo vestigia recta regione sive ad Cyllenam versus pergunt, sive ad prata,

[1]) Praeclarum Huntii supplementum. Cf. Xen. Cyneg. 5, 6.

unde venerant, revertuntur, sed inter se confusa sine ordine huc illuc vertuntur, ut „*δεινὸν κυκησμὸν ἔχειν τὸν βοηλάτην*" sive *πλανοδίασ* eum *ἐλαύνειν* Satyri aptissime dicant. En igitur alterum hymni artificium a Sophocle assumptum et suis verbis expressum, quam ob rem haud temere conicias in tota hac parte scribenda Sophoclem hymni compositionem accurate servavisse, itaque duobus hymni artificiis expositis verisimile non esse tertium neglectum eum praetermisisse, quod hymni auctor compluribus versibus dignum iudicaverit. Quamquam coniectura quid opus est, ubi ipse textus certa doceat? Etenim initio investigationis dum altera chori pars canum modo locum perscrutatur, subito nescio qua re conspecta exclamat vs. 94: „*θεὸσ, θεὸσ, θεὸσ, θεόσ,*" et vs. 97: „*σίγα· θεόσ τισ τὴν ἀποικίαν ἄγει.*", ubi Robertus optimo iure annotat (l.l. pag. 543): „Im erstem Teil ist die Situation die, dasz der erste Halbchor die Fuszstapfen des Hermes wahrnimmt und einen Gott wittert.", quamquam unde haec orta sit suspicio, in incerto reliquit. Veram interpretationem nunc quoque hymnus nobis praebet, cuius ex versibus 222—225 iam supra citatis et praecipue ex vs. 342 sq.

τὰ δ' ἄρ' ἴχνια τοῖα[1] *πέλωρα,*
οἷα τ' ἀγάσσασθαι, καὶ ἀγαυοῦ δαίμονοσ ἔργα.

luce clarius apparet etiam deum Apollinem insolitis pedum signis obstupuisse. Itaque prorsus non miramur Satyros illos rudes atque rusticos ingentibus sandaliorum vestigiis agnitis nil humani ibi vidisse, sed metus plenos *θεόν τινα τὴν ἀποικίαν ἄγειν* exclamasse.

Haec igitur de vestigiis a Satyris agnitis; restat, ut in horum versuum divisione paulisper subsistamus. Varias enim viri docti [2]) proposuere partitiones, quorum Muenscherum

---

[1]) Cll. vss. 225 et 349 (*τοῖα πέλωρ'*) Barnesii coniectura *τοῖα* pro *δοιὰ* necessaria fere mihi videtur. Prorsus eodem modo dei vestigia facile sunt agnoscenda apud Hom. N 70 sq.:

οὐδ' ὅ γε Κάλχασ ἐστί, θεοπρόποσ οἰωνιστήσ· | ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων | ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντοσ, ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ.

[2]) Robertus, l.l. 543 sqq., Wilamow. l.l. 8 sqq., Koettgenia l.l. 54[9]), Diehlius, Muenscherus l.l. 173 sqq.

Ex versu 168 (ad quem vide) necessario sequi, ut hic chori statuamus tripartitam divisionem Wilamowitzio concedere non possum.

magna ex parte secutus equidem locum nostrum sic distinguo:

Χορ.α'. (miris sandaliorum vestigiis conspectis stupens exclamat:) *θεὸσ* [1]), *θεὸσ, θεὸσ, θεὸσ, ἔα* [*ἔα*

Χορ.β'. (eodem fere tempore boum vestigia videns, laeta voce:) *ἔχειν* [2]) *ἔοιγμεν· ἴσχε, μὴ* [*π*]*ρ*[*όσω πά*]*τει·*
ταῦτ' ἔστ' ἐκεῖνα [3]) *τῶν βοῶν τ*[*ὰ*] *βήματα.*

Χορ.α'. (pavida iterum comites monens, ut deum caveant:)
σίγ[*α*]*· θεόσ τισ τὴν ἀποι*[*κία*]*ν* [4]) *ἄγει.*

Χορ.β'. (semper inventis laeta, alterius metum non curans:)
τί δρῶμεν, ὦ τᾶν [5])*; ἢ τὸ δέον* [*ἐξ*]*ήνομεν;*
(dum alteri silentio, tamquam si nil audiant, sua vestigia persequi pergunt, paulo impatientius:)
τί; τοῖσ[*ι*] *ταύτηι πῶσ δοκεῖ* [6])*;*

Χορ.α'. *δοκεῖ πάνυ* [7]),
σαφῆ [*γ*]*ὰρ αὔθ' ἕκαστα* [8]) *σημαίνει τάδε.* [9])

---

[1]) *θεόσ* pro solita exclamatione *θεοί* (Gott, Gott) a tragico hic adhibitum esse, quod vult Wilamow., non credo.

[2]) sc. *τὰσ βοῦσ.*

[3]) Legendum esse *βήματα*, non *σήματα*, coniecit Maasius (Berl. Phil. Woch. 1912, 1076), probavit papyro iterum inspecta Huntius, qua ex re omnia, quae Robertus l.l. 540 sqq. de ungularum *signis inustis* disseruit, ad irritum sunt redacta. Praeterea Maasius proposuit: *ταῦτ' ἔστ' ἐκείνων κτλ.*, pronomina *ἐκεῖνα* et *ταῦτα* inter se iungi posse negans. Lectio tradita utique retinenda videtur et sic vertenda: „En tibi illa ipsa, quae quaerimus boum vestigia." Cf. El. 1115, 1178, O. C. 138, Ant. 384, complures locos a Leeuwenio ad Aristophan. Ran. 318 citatos.

[4]) Furtum a tam claro fure commissum *κλέμματοσ* nomine dici non posse rati comica gravitate „deum coloniam deducere" exclamant, quod multo lepidius mihi videtur quam Wilamowitzii versio: „Still, ein Gott führt unsere Kolonie. (Mit einer *ἀποικία* vergleichen sie sich spaszhaft)."

[5]) *ὦ τᾶν* de pluribus adhibitum, cf. Aristophan. Plut. 66, Cratin. fragm. 360. Verte: „Quid nunc amici? Nonne perfecimus, quae petebamus?"

[6]) Quid tandem istis videtur?

[7]) Haud dubium nobis quoque videtur („I 'm quite sure of it". Pearsonius.) sc. boum illarum vestigia nos repperisse, deum autem esse, qui eas ducat.

[8]) Rectius fortasse quam *αὐθέκαστα*, cf. Valcken. ad Phoeniss 497.

[9]) i. e. calceamentorum vestigia.

Χορ.β'. ἰδού, ἰδού,
καὶ τοὐπίσημον [1]) αὐτὸ τῶν ὁπλῶν πάλι[ν.]
Χορ.α'. ἄθρει μάλα·
αὔτ' ἐστὶ τοῦτο μέτρον [ἐ]κμε[μαγ]μ[έ]νον. [2])
(ῥοῖβδοσ) [3])
χ[ώ]ρει δρόμωι καὶ τα[...........]ων ἔχου
[...]οπ . [.....] . [.............]μενοσ
ῥοίβδημ' ἐάν τισ τῶν [βοῶν δ]ι' οὖσ [λάβηι. [4])
Χορ.β'. (dum sua persequuntur vestigia:)
οὐκ εἰσακούω πω [τορῶ]σ [5]) τοῦ φθέγματοσ,
ἀλλ' αὐτὰ μὴν ἴχ[νη τε] χὢ στίβοσ τάδε

---

[1]) Vestigium (hoefafdruk); notam quandam ungulae inustam indicari parum probabile censeo. Cf. τὸ ἐπίσημον in *aere* expressum (Plut. Thes. 6), ut hic in *terra*.

[2]) Sic Pearsonius. Huntius coniecerat ἐκμετρούμενον, sed *praesentis* participium haud facile intellegitur. Valet versus: „En hic vero habetis vestigium plenius quam alibi expressum, ut metrum clare appareat." De *dei* vestigiis hic agitur. Verbum ἐκμάττειν eodem sensu invenitur Theocrit. 17, 122 ποδῶν ἐκμάσσεται ἴχνη.

[3]) Hac παρεπιγραφῇ, in textu post vs. 107 lecta, utique tamen huc transponenda, utrum lyrae sonus an boum mugitus significetur, apud interpretatores non constat neque e textu tradito satis liquet. Equidem mihi rem sic fingo: sonus quidam vagus et incertus Satyrorum spectatorumque auribus percipitur. Spectatores eruditi atque artis κιθαριστικῆσ haud ignari, qui sit sonus ille non dubitant, at Satyri ἄμουσοι exspectatione sua temere credentes, quae sperant, boum esse mugitum facile sibi persuadent. Itaque ceteros hortantur, ut propere accedant itemque aures arrigant.

Quod ad vocem ῥοῖβδοσ attinet, designat strepitum vehementiorem, e. g. aeris avium alis vehementer commoti (Soph. Ant. 1004) vel tonitrus (Aristophan. Nub. 407, Aeschyl. Eumenid. 407 ῥοιβδοῦσα κόλπον αἰγίδοσ). Huius igitur lyrae sonus quam optime voce ῥοίβδωι designatur. Cf. 255 (διαχαράσσεται), 278 (βρέμον) et hymn. vs. 54, 420 (σμερδαλέον κονάβησε).

[4]) Versus molestus, quem medela adhuc egere opinor. Tragicam linguam δι' ὠτόσ (ὤτων) exigere recte monent Diehlius et Pearsonius. Cf. e. g. O. R. 1387, Ant. 1188. Pearsonius, ut hanc difficultatem tollat: ῥοίβδημ' ἐάν τι τῶν [ἔσω πρὸ]σ οὖσ [μόληι.

[5]) Rectissime Koettgenia l. l. 56: „Vox, quam audio, tam tenuis est, ut a bubus utrum profecta sit necne, distinguere non possimus; sed perspicua sunt vestigia, quae sine dubio ad boves pertinent." De adverbio τορῶσ (clare) cf. quae dissseruit Koettgenia l. l. pag. 94 et Leeuwenius ad Aristophan. Ran 1102, Pac. 381.

κείνων ἐναργῆ τῶν β[ο]ῶν μαθεῖν πάρα. [1])
(subito nova res oculis eorum obicitur.)
ἔα μάλα·
παλινστραφῆ τοι ναὶ μὰ Δία τὰ βήματα·
εἰσ τοὔμπαλιν δέδορκεν αὖ· [2]) *τάδ' εἴσιδε.*

Χορ.α'. (ceteris appropinquantes dum et ipsi novum miraculum animadvertunt:)
τί ἐστὶ τουτί; [3]) *τίσ ὁ τρόποσ τοῦ τάγματοσ;* [4])
εἰ[σ] τοὐπίσω τὰ πρόσθεν ἤλλακται,
(agnoscunt vestigia inter se confusa.) *τὰ δ' αὖ*
ἐναντί' ἀλλήλοισι συμπ[επλεγ]μένα.
δεινὸσ κυκησμὸσ εἶχ[ε τὸν βοη]λάτην. [5])

De hac chori parte haec sufficiunt atque credo Sophocli contigisse, ut hymni argumento lepidis versibus, sed praecipue gestibus et actione novam vitam inspiraret. Verissimum igitur mihi videtur, quod nostro de loco fecit Allegrius iudicium, qui sic scribit (l. l. pag. 254): „Mais en quoi consiste en realité cette chasse? En danses et en courses folles, en cabrioles inattendues, en contorsions et en attitudes à ce point bizarres, que le vieux Silène, habitué pourtant aux allures capricolantes de ses fils, en est étonné et choqué . . . . . Et, en fait, cet épisode est surtout un spectacle pour les yeux, une sorte de ballet, exigeant, pour être executé avec tout le brio nécessaire, des acteurs spécialement exercés, d'une souplesse et d'une agilité rares, des véritables clowns. Dans cette partie de la pièce, où aucun des personnages principaux ne

---

[1]) Locutio redit 34 (?), Aeschyl. Choeph. 972, Eur. Alc. 341, Aristophan. Vesp. 316.

[2]) Chorum novitate rei bis idem dicere non est mirandum. Papyri interpunctionem sine iusta causa mutans Wilam. sic distinguit: *εἰσ τοὔμπαλιν δέδορκεν. αὐτὰ δ' εἴσιδε.*

[3]) Ista, quae vos repperistis vestigia.

[4]) Cf. Soph. O. R. 99 *τίσ ὁ τρόποσ τῆσ ξυμφορᾶσ*, quaenam calamitatis *ratio* ac *natura* est, qua de vocis *τρόποσ* significatione fuse disputavit Kuiperus Mnem. 1908, pag. 424 sqq. Vid. et Eur. Phoeniss. 390, Aristophan. Lys. 25, Ran. 565.

[5]) Cf. Hymn. Merc. 14 *ληϊστῆρ', ἐλατῆρα βοῶν κτλ.* Post hunc versum omnes, melius ut perspiciant, humi sese prosternunt.

figure, où seuls les satyres et leur père occupent la scène, point de peinture morale, qui vienne distraire du plaisir du *spectacle*, à part d'un seul trait, mais important, l'épouvante du choeur chaque fois que résonne la lyre."

118—125. Quid Silenus fecerit, dum Satyri indagatorum munere tam strenue funguntur, non legimus quidem, sed cogitatione fingere facile possumus, nam mentis oculis eum videmus haud procul ab aliis stantem, nutu gestuque omnia dirigentem, quae Satyri odorentur, observantem [1]). Itaque non fallit eum totam Satyrorum manum subito subsistere atque humi stratos, vix sese moventes, *τοῖσ πρωκτοῖσ εἰσ τὸν οὐρανὸν βλέποντασ* videri. Haec quidem non iusserat! Graviter igitur Satyros increpat [2]).

118. *τέχνην.* Cf. 217 *τίσ ἥδε τέχνη;*

119. *πρόσπαιον* vim adverbii (= *ἐκ προσπαίου*) potius quam adiectivi (sc. *τέχνην*) habere credo. Pearsonius et Tudeerus [3]) apte conferunt Nic. Ther. 689 *εἰ δὲ σύ γε σκύλακασ γαλέησ ἢ μητέρα λαιδρὴν | ἀγρεύσαισ πρόσπαιον.*

120. *τίσ ὑμῶν ὁ τρόποσ*; sc. *τοῦ ὧδε κυνηγετεῖν.* Iterum vs. 124 *οὐ γὰρ ἴδρισ εἰμὶ τοῦ τρόπου.* Coll. quae scripsi ad vs. 114 verto: „quaenam est vestra ratio! Quid hic modus venandi sibi vult?" Iure hic laudatur Xen. Cyn. 3 . 4 *τῆσ ἰχνεύσεωσ πολλοὶ τρόποι.* Qui autem hoc ex loco nostrisque ex versibus efficere volunt *τρόπον* esse vocabulum linguae venatorum proprium, mea quidem opinione errant.

122. [*ἢ*] *τισ πίθη*[*κο*]*σ κῦβδ' ἀποθυμαίνεισ τινί.*

Ad verbum *ἀποθυμαίνειν* annotat. Wil. (l.l. pag. 10): „Ich

---

[1]) Silenum post vs. 93 abisse et nunc demum redire Wilamowitzio (l.l. pag. 8 et 10) concedere non possum.

[2]) Post vs. 117 sonum citharae adhuc ignotae primum ad Satyrorum aures pervenisse, quo sono cognito Satyros ignavos subito collapsos esse Robertus non recte, si quid video, statuit.

[3]) De vocabulis, quibus Sophocles in Ichneutis fabula Satyrica usus est scripsit L. O. Th. Tudeer (Helsingforsiae 1916).

fasse *θυμαίνειν* als dezenten Ersatz für *ἀποθυμιᾶν*, d. i. *ἀποπαρδεῖν*." Verior fortasse, certe simplicior est Vollgraffii explicatio: „*ἀποθυμαίνειν* est valde *θυμαίνειν*." [1]), *usque eo irae indulgere, ut vires te deficiant* (cf. *ἀπομαίνεσθαι*, *ἀποργίζεσθαι*), quod revera est simiarum irascentium, quae pronae ita, ut posterior pars corporis alte supra anteriorem emineat, dentibus fulgentibus in capite porrecto et hodie spectatores delectare soleant. De voce *κῦβδα* utique conferatur Arist. Equit. vs. 365 *ἐγὼ δέ γ' ἐξέλξω σε τῆσ πυγῆσ θύραζε κῦβδα*, Pac. 897, Thesm. 489.

Interrogationis signa post *πεσών* (vs. 121) et *τινί* (vs. 122) ponenda esse putat Vollgraffius. Perperam, opinor, nam *conspicit* Silenus Satyros ut *ἐχίνουσ* et *πιθήκουσ* humi iacentes, *rogat* deinde: *τί ταῦτα; κτλ.*

123. Legitur in papyro *ἐν πο[ί]ωι τρόπωι;* Wilam. recte coniecit *ἐν ποίωι τόπωι*. Haud facile enim dicas, quid sit *ἐν τρόπωι* nec usquam alibi, quod sciam, nomen *τρόποσ* cum praepositione *ἐν* coniunctum legitur. Vitium ex dittographia ortum.

125 sqq. Obiurgatione Satyrorum animos movere Sileno non datur, nam plura etiam fortasse additurus erat, cum iterum citharae sonus, nunc iam clarior, auditur. Chorus igitur, semper adhuc humi iacens, subito exsurgit et pavido cum clamore ad Silenum sese recipit, quod vs. 160 ex participio *ἀνανοστήσαντεσ* satis apparere iure annotat Vollgraffius.

125. *ὖ ὔ ὖ ὔ*, cf. 170. Redit Aristophan. Plut. 895.

126. Iratus Sileni animus crebris interrogationibus optime designatur. Cf. 215 sqq.

τίν' εἰσορᾶισ; Anxii ergo ad eam regionem versus spectant, unde sonus modo venerat.

127. *τί ποτε βακχεύεισ ἔχων;* „Quid est, quod furis?" Locutio

[1]) l.l. pag. 81. Erotico sensu Vollgr. verbum interpretari videtur sic vertens: „aut simiarum ritu pronus in *aliquam* furori tuo indulges?", quam tamen verbi *θυμαίνειν* vim aliunde, quod sciam, notam non habemus.

identidem apud Aristophanem Platonem alios redit, ex quibus plurimos locos excerpsit Leeuwenius ad Arist. Ran. vs. 202.

128 sq. Cum Pearsonio sic lego:

ἀ[λλ' οὐ τίσ ἤχε]ι κέρχνοσ ἱμείρει[σ] μαθεῖν;
τ[ί δῆτα σιγ]ᾶθ', οἱ πρ[ὸ τοῦ λαλίστ]ατοι;

Κέρχνον esse sonum raucum, sed etiam stridentem (dofpiepend) Galenus ab Huntio citatus [1]) nos docet. Redit vocabulum in frg. Inachi Soph. *Τραχὺσ χελώνησ κέρχνοσ ἐξανίσταται.* (Pears. fr. 279).

Ut modo Satyri, sic nunc Silenus audivit quidem sonum, sed vagum adhuc neque quid habeat insoliti distinguere potuit. Itaque ipse omni timore vacuus, exilem sonum haud terribilem aestimans torvo vultu rogat: „Nonne sonus ille quid sibi velit scire cupitis?", negaturos eos, quod dominus roget, non credens atque, si revera se cupere respondissent, denuo eos excitaturus. At contra omnem exspectationem Satyri nil respondent. Vix igitur deinde sibi temperans increpat eos: *τί δῆτα σιγᾶθ', οἱ πρὸ τοῦ λαλίστατοι;*

Hoc modo si interpretamur, Wilamowitzii coniectura *ἱμείρω* pro *ἱμείρει*[σ] supervacua est.

131. De verbo *ἀπονοσφίζειν* (vitare) Wil. apte comparat O. R. 480 *τὰ μεσόμφαλα γᾶσ ἀπονοσφίζων*. Cf. etiam Philoct. 979 *ὁ ξυλλαβών με κἀπονοσφίσασ ὅπλων*. Participii *ἔχων* idem est usus atque vs. 127.

133. Post chori adhortationem Silenus parumper tacens intentus auscultat, at silentium nullo sono rumpitur.

Versus initium *καὶ πῶσ* indignantis est et fidem non habentis, cf. 292 *καὶ πῶσ πίθωμαι* et plurimos locos a Leeuwenio ad Arist. Nub. 210 citatos. Idem, quid intersit inter *ἀκούειν* (sonum auribus percipere) et *κλύειν* (aures praebere) optime exposuit ad Aristoph. Ran. 1175, cf. Aeschyl. Prom. 448, Eur. Phoen. 919. Sic igitur versus vertendus: „Et quo tandem modo quicquam auribus

---

[1]) Gloss. Hippocr. (Kühn XIX, pag. 111): *ἡ τραχύτησ τῆσ φάρυγγοσ* vel *ὁ ἐν τῶι πνεύμονι ψόφοσ.* Cf. vs. 154 *κόλαξ.*

percipiam, cum nullus omnino sonus ad aures meas perveniat?" [1])

136. *ἄκουσον αὖ τ[ο]ῦ χρ[ήμα]τοσ χρόνον τινά.* „Iterum ausculta!", iam enim post vs. 132 eum aures praebentem vidimus. Vox *χρήματοσ* si recte hic legitur (cf. 44, 223, 365), verissimum est, quod annotat Allegrius (l.l. pag. 250/51): „ils ne trouvent pas de mot pour désigner l'être, auquel appartient cette voix étrange." *χρόνον τινά* autem pro *χρόνωι ποτέ* (tandem aliquando) dictum esse Vollgraffio (l.l. pag. 88) coll. 132 sq. et nostro versu *αὖ* assentiri non possum.

139 sqq. Id ipsum, quod frustra auscultando atque Satyrorum nugis aures praebendo tempus consumpsit, Silenum implet ira. Itaque senex noster suae iuventutis facta strenua commemorans timidissimos in socios invehitur, quae oratio, quamquam non tota risum captat, et dictione et argumento [2]) comoediae quam tragoediae propior est.

139. *τί μοι ψ[ό]φον κτλ.* Post vocem *ψόφον* interpungere videtur papyrus [3]), quod iure omnes editores spernunt. Nam eiusmodi in ellipsi potius exspectatur *μή μοι*, cf. Ant. 577, Aristophan. Nub. 84 (ubi vide Leeuwenium).

140. *σώματα, corpora sine animo,* idem fere, quod vocat Euripides (Hel. 582 sqq.) *βλέποντα σώματα* (a deo) *πλασθέντα.*

143. *κάκόμιστα.* Invenitur adiectivum primum apud Nonnum (*χιτών* 35, 186. *χήρη* 40, 147.), sed Hom. *φ.* 284 *ἀκομιστίη.* (Muenscherus.)

144 sq. Cf. Euripid. Melanippae fgm. 512 (Nauck) *φωνὴ καὶ*

---

[1]) Wie soll ich horchen, da ich nichts vernehmen kann? (Robertus.)

[2]) Cf. Aristophan. Vesp. 235 sqq. de Strymodori comitumque iuvenilibus factis. Minus recte Robertus (l.l. 553) opinatur: „Die grosze Rede an die Satyrn könnte ebenso gut ein tragischer Held z. B. Aias sprechen."

[3]) It can hardly be doubted that a stop was intended, though the dot is not quite in the proper position, being too far from the *ν* and close to the vertical stroke of *φ*. (Hunt.)

σκιὰ γέρων ἀνήρ, fgm.25 γέροντες οὐδέν ἐσμεν ἄλλο πλὴν ψόφος καὶ σχῆμ᾽. Herond. VI. 16 φθείρεσθε, νώβυστρα, ὦτα μοῦνον καὶ γλάσσαι|τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ἑορτή.

[σ]ώ[μ]ατ᾽. Idem convicium tam mordax repetitum esse non miramur, quam ob rem Roberti supplementum ὄμμα(τ)᾽ probandum non videtur.

φαλῆτες. Cf. Cyclop. 168, 439 sq.

146. πιστοὶ λόγοισιν ὄντες ἔργα φεύγετε. Cf. Satyros Euripideos, qui Ulixi adhortanti intrepidissimi respondent πέτρας τὸ λῆμα κἀδάμαντος ἕξομεν, mox tamen, ut periculum effugiant, operam daturi.

148 sqq. Silenum iuvenem cum nymphis versatum esse iam aliunde notum est, cf. e.g. hymn. Ven. 262 τῇσι (i. e. nymphis) δὲ Σειληνοί τε καὶ εὔσκοπος Ἀργειφόντης μίσγοντ᾽ ἐν φιλότητι, ubi annotat Sikesius: „The sileni frequently appear as lovers of nymphs on vases; also on coins of Thasos (Head. Hist. Num. p. 227)." Immerito tamen Vollgraffius (l.l. pag. 85) Sileni moribus obtrectans sic scribit: „Idem (i. e. Silenus) apud Sophoclem Satyros, timidiores et ipsos, obiurgans disserit de triumphis, quos florens aetate non sine gloria militans de. . . . nymphis reportaverit (vs. 148 sq.), nullis perterritus. . . . strepitibus, sed summis viribus omnia patrans (vs. 152 sq.)." At talia vs. 148 sq. non leguntur, nam unice recta, meo quidem iudicio, est Huntii interpretatio: „Yet your father is one, by whose youthful prowess many trophies have been set up at the homes of his brides", nisi quod verba „οἴκοις νυμφικοῖς", „domibus *nympharum*" potius vertenda sunt.

Bestiarum fremitu nihil perterritus erat Silenus iuvenis, aliter igitur ac Satyri, quos vel minimum sonum φοβεῖσθαι καὶ δειμαίνειν apparet. Utilis hoc loco est comparatio cum Cyclopis Euripidei exordio, nostri Sileni verbis haud dissimili, de quo fusius infra agam.

150. δουλουμένου. In margine legitur δειλουμένου, quod, quamvis rarum, magis mihi placet.

152. ἀλλ̣᾽ ἀ..μαῖσιν ἐξει[ρ]γασμένου. Ita supplendum est, ut

fiat aut ἀκμαῖσιν aut αἰχμαῖσιν. Sed quid Silenus cum αἰχμαῖσιν? Pearsonius explicat: „The speaker does not so much refer to a definite weapon as to martial achievements in general. Thus the meaning is equivalent to *vi et armis*, or practically to „in battle”. Sic autem coll. e.g. Eur. Her. 158 θηρῶν ἐν αἰχμῇ utique exspectares ἐν αἰχμαῖσιν.

Neque tamen omni vacat molestia vox ἀκμαῖσιν, nam vocis ἀκμῆς noto sensu (cf. e.g. O. R. 741 τίνα δ' ἀκμὴν ἥβης ἔχων; Eur. Alc. 317, Leeuwenius ad Arist. Plut. 256) adhibitae pluralis numerus usurpari non potest. Deinde nonnulli ἀκμάς hoc loco idem esse atque bracchia volunt. Attamen hoc si significare potest, utique cum aliquo nomine coniungi debere, ut, cuius membri „extrema pars” nobis sit cogitanda, explicetur, vix est monendum. Cf. O. R. 1034 ποδοῖν ἀκμάς, 1243 ἀμφιδεξίοις ἀκμαῖς, Eurip. Bacch. 1207 χειρῶν ἀκμαῖσι, Aeschyl. Pers. 1031 ἀκμὴ χερῶν, Eumenid. 376 ποδὸς ἀκμάν.

Itaque Silenum *bracchia extendentem* verba gestibus complevisse cum Vuerthemio verisimile duco.

ἐξεργάζεσθαι i. e. *perdere, necare* sc. τὰ βοτά. Cf. Eur. Hipp. 607 μηδαμῶς μ' ἐξεργάσῃ, Hel. 1098 μή μ' ἐξεργάσῃ, Herod. V. 19, III. 30, 31, IV. 134.

153. [ὑ]πορρυπαίνεται vel magis ἐμφατικῶς ἀπορρυπαίνεται. Muenscherus citat Xen. rep. Lac. 11. 3 σχολαίτατα ῥυπαίνεται; Arist. rhet. 3. 2. p. 1405 α 24; Dionys. Isocr. 18; Anth. XI. 5; Athen. XV. p. 687 B, ex quibus verbum imprimis pedestris linguae proprium esse apparet.

154 sq. Inter vs. 153 atque sequentem nonnulla excidisse putat Wilamowitzius. Koertius (Arch. für Papyrusforsch. V. 4. 1913 pag. 560) sic distinguit: . . . . ἀπορρυπαίνεται·

[ψ]όφωι νεώρει κόλακ[ι] ποιμένων π[ο]θέν
[τί] δὴ φοβεῖσθε παῖδες ὡς πρὶν εἰσιδεῖν;

qua tamen in interpretatione verborum ordo paulo durior mihi videtur. Equidem cum Pearsonio ψόφωι esse ablativum causalem credo, qui idem ac praepositio διά cum acc. valet („om zoo'n geluidje”), quo de usu cf. El. 549, Trach. 1127, Ant. 691, Eur. Her. 79, Heraclid. 474, Andr. 157, 247.

Silenus ut Satyrorum animos confirmet, sonum illum, quem modo iam *κέρχνον* nominavit (vs. 128), nunc etiam *dulcem* („schmeichlerisch" vertit Koertius) vocare haud illepidum est.

156. *χρυσόφαντον.* Vide ad vs. 45. Cum vocabulo hic primum lecto comparat Muenscherus *χρυσοφάεννοσ* (Anacr. fr. 25), *χρυσοφαήσ* (Eur. Hipp. 1275, Hec. 636), *χρυσοφάνιοσ* (Hymn. Dian. apud Athen. XIV. 636 D), *χρυσοφανήσ* (Aelian. Hist. anim. 17.2), *χρυσοφεγγήσ* (Aeschyl. Ag. 288).

159. *ὑμῖν τε κἀμοί,* „vobis, sed mihi praecipue."

160. *ἀνανοστήσαντεσ.* Cf. ad vss. 125 sqq. *ἀνανοστεῖν* quin sit „iter relegere" (auf den Weg zurückkehren), dubium non est. Fac enim vertas cum Huntio „persequi" (pursue), praeter verbum *νοστεῖν* contortius nunc explicatum, quid *ἀνα-* illud sibi velit, haud facile dicas. (cf. *ἀναχάζεσθαι, ἀναχωρεῖν.*)

161. *τὸν βουκόλον,* et bubulci enim cognoverant vestigia, vid. 117.

162. *κλαίοντεσ αὐτῆι δειλίαι ψοφή[σ]ετε.* Versus molestior. Dativus cum pronomine *αὐτῶι, αὐτῆι, αὐτοῖσ, αὐταῖσ* coniunctus compluries et apud Homerum et in tragoedia et apud comicos invenitur, ut docet Leeuwenius ad Arist. Vesp. 119 *αὐτῶι τυμπάνωι,* quae tamen constructio (belgice: „met . . . . . en al.") huc non quadrat, immo pronomen *αὐτῆι,* quoquo modo interpretaris, semper supervacuum est. Equidem intellegerem:

κλαίοντεσ αὐτοὶ[1]) *δειλίαι ψοφήσετε.*

Etenim incipit Silenus *τί μοι ψόφον φοβεῖσθε,* redit *τοῦ ψόφου* indignatio vss. 151 et 154, concludit igitur orationem: „nisi cavebitis, *ipsi* lacrimantes ignavia vestra *sonum edetis*", sc. cum ob ignaviam vapulabitis.

Quae attulit Maasius (Berl. Phil. Woch. 1912 pag. 1076) ad probandum nostro loco *ψοφεῖν* idem esse atque perire (krepieren), cum in Byzantia et neo-Graeca lingua sic adhibeatur, mihi persuadere non potuerunt, nam eiusmodi usus a dictione Sophoclea alienus mihi videtur.

---

[1]) Wecklein, Blätter für das Gymn. Schulw. 1912, pag. 437.

Orationis lepidae lepidissimus finis luculenter nobis demonstrat ignaviae indignationem veram irae causam Sileno non fuisse, sed quod Satyrorum trepidatione tantum praemium perderet, hoc senem vehementer momordisse. En homo, a quo nil humani alienum sit putandum, nam quam saepe inveniuntur homines irascentes, at grandibus verbis veras irae causas obtegi studentes! De Cyclopis versibus 137 sqq. huc conferendis infra agemus.

165. *οὐδὲν λέγων*, „nugans."

166. *σε προσβιβῶ λόγωι*, ironice: „argumentis te vincam." Item Arist. Eq. 35, Av. 426; Aeschin. III § 93; Xen. Mem. I. 2. § 17; Plat. Menon. 74*b*.

168. *ἀλλ' εἶ' [ἐ]φίστω τριζυγὴσ οἶμου βάσιν.*

Versum, in quo nil mutandum censeo, sic verto: „Agedum, triiugis viam insiste." Quod ad adiectivum *τριζυγήσ* pertinet, Vollgraffius mihi persuasit adiectivum *τρίζυγοσ* in usum venire quidem potuisse, sed eiusmodi adiectivorum formam femininam occurrere non solere (cf. e. g. Eur. Hel. 357 *τριζύγοισ θεαῖσ*), nil tamen obstare, quin *τριζυγήσ* nominativo sensu usurpetur, cf. recentioris temporis adiectiva *τριλαμπήσ, τριπλανήσ, τριπλεκήσ, τριφανήσ, τριφυήσ, ἀζυγήσ, ὁμοζυγήσ, συζυγήσ, τ ρ ι ζ υ γ ή σ* (Anthol. Pal. XI, 77, 4 *τριζυγέεσ χάριτεσ*), apud Soph. *διφυήσ* (Trach. 1095), *δικρατήσ* (Ant. 146, Aiac. 251). Deinde autem ipse interpretationem suam reiecit, [1]) quod *τριζυγήσ* (errato legitur *συζυγήσ*) esset *trifariam iunctus*, cum sententia nostri loci requireret, ut esset *trifariam dispertitus*. Sed recte puto Koettgeniam [2])

---

[1]) Infeliciter substituit: *ἀλλ' εἶ', ἐφίστω τριζυγεὶ 'σ οἶμον βάσιν*, ubi praepositio *'σ* prorsus carere possumus. Cf. Trach. 339 *τήνδ' ἐφίστασαι βάσιν*, Aiac. 42 *ἐπεμπίπτειν τήνδε βάσιν*.

[2]) Confert Poll. II, 199 *καὶ βάσισ δὲ παρὰ τοῖσ μουσικοῖσ λέγεται τὸ τιθέναι τὸν πόδα ἐν ῥυθμῶι*. Omnino sunt lectu dignissima, quae de vocibus *ζυγόν* et *στοῖχοσ* in exercitu atque *chori disciplina* usitatis disputavit (pag. 82 sq., 98—108), quamquam perperam nostro versu legit: *ἀλλ' εἶ' ἐφίστω τρίζυγ' εἰσ οἶμον βάσιν*, vertens: „agedum viam insiste (*ἐφίστω οἶμον*) triiugem, id est triplicem, ad gressum. (*τρίζυγ' εἰσ βάσιν*).", nam vereor, ne *οἶμον* sic inter *εἰσ* et *βάσιν* positum cum verbo *ἐφίστω* coniungi Graecus sermo non sinat.

statuisse gressum saltatorium nunc significari, quo terni choreutae in singulis chori ordinibus positi eodem tempore saltare coeperint iumentis haud dissimiles, qui uno iugo coniuncti eodem fere tempore ad progrediendum pedes levare soleant.

Trivium denique in scena [1]) fuisse nostro ex loco elici posse nego, neque enim canes venatici per vias tantummodo vestigia perscrutantur, sed imprimis per dumeta semitis adiacentia, cf. e. g. Ovid. Met. III 225 sq.: „ea turba cupidine praedae | per rupes scopulosque adituque carentia saxa, | *quaque est difficilis quaque est via nulla, feruntur.*" neque indagatoribus vestigia inspicientibus via quaquam vastitatis imaginem spectatoribus perturbante opus erat.

169. *ἐγὼ δ᾽ ἐν ἔργοισ παρμένων σ᾽ ἀπευθυνῶ.*

Nititur hoc versu quasi fundamento Vollgraffii coniectura in vss. 170 sqq. nobis describi pugnam inter Silenum tuto loco remanentem et Satyros eum progredi cogentes, quae coniectura ut verisimilis fiat, necesse est versum nostrum sic explicari: „ego vero stationem meam non deserens te in laboribus tuis dirigam (laboribus tuis praeero)." (Mnem 1914, pag. 85). Vertit igitur participium *παρμένων* „stationem meam non deserens". Coll. autem vs. 163 *παρών* et vs. 165 *ἂν παρῆισ* et vs. 166 *παρών* totum locum potius mihi sic fingo. Rogant Satyri, ut Silenus ipse non e longinquo, ut fecerat, sed praesens praesente periculo sibi adesse velit. Silenus, quo est impetu, haud abnuit: „*ἐγὼ παρὼν αὐτόσ σε προσβιβῶ λόγωι*", quae verba mirum in modum Vollgraffius callidam esse recusationem annotat.

Itaque Silenus postquam Satyris se comitem adiunxit, praesens iam sic eos adhortatur: *ἀλλ᾽ εἶ᾽ κτλ*, ubi, si quid video,

---

[1]) Wilamow. Sonderabdr. pag. 8; Terzaghius, I cercatori di traccie, pag. 100 in calce. Muenscherus (Rh. Mus, 1914, pag. 182) cogitans de *σχιστῆι ὁδῶι* („in der Gestalt des pythagoreischen *Υ*") sic vult: „die Satyrn, die jetzt um Silen geschart stehen, sollen sich wieder *teilen in zwei Teile*, sie sollen *von der Teilstelle aus* (dem eigentlichen trivium) wieder die beiden Spuren folgend den Berghang emporklimmen." Quae minime mihi placent, nam quomodo Graeca verba „*ἐφίστασθαι–βάσιν*" verti possint „sich teilen *in zwei Teile, von der Teilstelle aus* emporklimmen", prorsus non capio.

participium *παρμένων* prorsus idem atque modo *παρών* significat.

Iteratum illud pronomen *ἐγώ* vs. 166 et vs. 169 luculenter, nisi fallor, demonstrat Silenum, haudquaquam pavidum, etiam atque etiam Satyros docere *se* quidem omni terrore liberum ignavioribus optimum ducem fore.

170—198. Versus difficillimi, de quibus certi quicquam statui miserrima textus condicione non potest. Totius chori naturam Wilamowitzius (S.-abdr. pag. 11) sic describit: „die Verstümmelung läszt nur erkennen, dasz sie bald reden, als hätten sie ein Wild, bald, dasz es ihnen entschlüpft. Es klingt weniger nach Hundegebell als nach den Rufen von Treibern, die einen Busch durchsuchen." Ceterum de his versibus varii interpretes varie disputaverunt, e quibus praecipue nominandus est Robertus, cui et alia et splendidissimam debemus explicationem, qua, postquam boum investigationem nostro loco agi iure intellexit et hoc canticum esse dialogum inter Silenum Satyrosque paulo audacius fortasse, at non sine sana argumentatione coniecit, in vocibus *Δράκισ*, *Γράπισ*, *Οὐρίάσ*, *Μέθυσοσ* (*Μεθύων*?), *Στράτιοσ*, *Κροκίασ*, *Τρέχισ* Satyrorum nomina latere felicissimo ingenii acumine nobis probavit. Vid. Herm. 1912, pag. 548.

171. *τί μάτην.* Aristophan. Pac. 95 immerito tentatum esse hinc fortasse apparet.

175. *ἀνάγου*, „proripe te!" Cf. Menandri Sam. 145 *ἐκ τοῦ μέσου ἄναγε σεαυτόν!*, Aristophan. Ran. 853 *ἄναγε σεαυτὸν ἐκποδών.*

185. Ex corruptis verbis *ἔνι β[ο]ῦσ ἔνι πόνο* [effici posse ante hunc versum boum mugitum resonavisse non credo.

195. De papyri lectione *ἑισιθι* in *ἔπιθι* fortasse mutanda cf. quae scripsi ad vs. 211.

196. *τ[ὸ] δὲ πλάγιον ἔχομεν.* Satyros antro, unde sonus modo venerat, appropinquantes levem clivum ascendisse, itaque in

loco plano paululum supra orchestram elevato prope scenam nunc constitisse Koettgenia (pag. 84) ex hoc versu efficit, parum probabile, ut opinor. Nam *πλάγιον* sitne adiectivum (*obliquum, fallax*) an substantivum (*latus*) e contextu non apparet nec clivi usquam nostra in fabula fit mentio; deinde verba *πλάγιον ἔχειν* — quidquid id est — significare posse „in clivum iam ascendimus, id est ascensum iam superavimus." (Koettg. pag. 84) nego.

197 sq. Post versum 196 tertio cithara sonum reddit, quem ubi Silenus auribus percepit, valde *mirans* silet atque comites incitare desinit. Satyri deinde, quamvis timore nondum vacui, tamen facere non possunt, quin immeritissimo sese nugatores modo compellatos esse Silenum admoneant.

199 sqq. Cum papyro Pearsonius, quem complures sequuntur, versum sic distinguit:

Σι. σίγα. Χ°. τί ἔστιν; Σι. οὐ μενῶ. Χ°. μέν', εἰ θέλεισ [1]).

Dat deinde vss. 200—204 Sileno, choro vss. 204—211; coryphaei sunt vss. 211—216, qua divisione efficitur, ut Silenus *pavore* perterritus post vs. 203 abisse videatur. Hanc interpretationem, quamquam multis de causis haudquaquam spernenda est, probare tamen non ausim. Primum enim verum puto, quod annotat Huntius: „So sudden a *volte face* on the part of both Silenus and Satyrs might be comic, but it is hardly natural; moreover this theory also involves a departure from the original, where changes of speaker appear to be indicated by the paragraphi below ll. 24 (25) and IX. 1. Those paragraphi are not easily interpreted as marking the distinction between iambics and lyrics, cf. l. 12, where there is no paragraphus." Deinde ea, quae dicuntur vs. 201 sq. (*ζήτει τε κἀξίχνευε καὶ πλούτει λαβὼν | τὰς βοῦσ τε καὶ τὸν χρυσὸν*) ad *Sileni* adhortationem 156 sqq. haud dubie spectant, nam chorus conviciorum haud oblitus: „Tu nos" inquit, „indagare atque opibus augeri modo iubebas, sed ipse potius indaga atque aureo

[1]) Belgice: „Blijf, asjeblieft!" Cf. Philoct. 730 *ἕρπ', εἰ θέλεισ*, El. 585 *εἰ γὰρ θέλεισ, δίδαξον*. Sequentis versus fine unice rectum se habet *ὅπηι δύναι*.

praemio dignum te praesta.", *chorus* igitur *abire* in animo habet, retinet eos *Silenus*. Accedit, quod, Pearsonium si sequimur, prorsus non intellego, quomodo vss. 206—211 et 211—215 inter se cohaereant. Sunt enim vss. 206—211 carmen a toto choro, coryphaeo igitur duce, cantatum, quo speluncae incolam frustra lacessere videntur; sequitur vs. 211: „illis [1]) (vel illis artibus) quidem non prodibit, at *ego* alia moliar, ut rem mihi expediam". Siccine ergo loquitur coryphaeus, qui pars ipse chori modo conatus est, quae nil profecerunt? Credere non possum, at multo verisimilius mihi quidem videtur alium nunc loqui, qui seorsum a choro vanum eorum carmen contemnit, at ipse sese minime spernens (vide, quae pag. 31 de pronomine ἐγώ annotavi.) vi, non verbis opus esse optime intellegit. Hoc autem si constat, strenuus ille calcitro quin sit Silenus, quis dubitet?

203. Chorum credo post hunc versum denuo retro fugisse, sed Sileno cogente canentes rursus accessisse.

208. *φθέγμα ἀφύσ[ε]ισ.* Intellegerem cum Vollgraffio *ἀπύσεισ.* Pearsonius citat fr. 929 *πολλὴν γλῶσσαν ἐκχέασ*, quod tamen, facile intellectu ipsum (cf. „een stroom van woorden"), mirum hauriendi verbum nostro loco clarius non reddit.

212. *φ[έρ]ων κτύ[π]ον πέδορτον ἐξαναγκάσω.*

κτύποσ πέδορτοσ est *strepitus* (pedum pulsu) *e solo ortus*. Ingeniose Leo [2]) supplevit *φωρῶν κτύπον πέδορτον*, quod vertit: „Ich will das aus der Erde ertönende Geräusch ausspüren." Attamen coll. Arist. Nub. 499 *ἀλλ' οὐχὶ φωράσων ἔγωγ' εἰσέρχομαι*, Ran. 1363 *ὅπωσ ἂν εἰσελθοῦσα φωράσω* satis apparet ad verbum *φωρᾶν* (huiszoeking doen) obiectum *κτύπον* minime convenire neque magis placet *κτύπον*, ubi utique exspectes *ψόφον*.

Omnia, quae vss. 212 sqq. leguntur, et de ianua aliqua dici posse optimo iure Leo animadvertit, cf. Ran. 38 *τίσ τὴν θύραν ἐπάταξεν; ὡσ κενταυρικῶσ ἐνήλαθ'* et locos a Leeuwenio ibi citatos.

---

[1]) De voce *τοῖσι* cf. 88 *τί; τοῖσι ταύτῃ πῶσ δοκεῖ;*

[2]) Leo apud Rob. Herm. 1912, pag. 538.

Quod autem Vollgraffius, Leoni adstipulans, ianuam abesse nullo modo potuisse contendit, vereor, ne erret, nam causa ab eo allata: „Patet illum, qui haec dicit, pedibus irruere velle in ianuam quandam; terram enim si pede ferias, nullus evadat sonus, quo vel surdi excitari possint.", haec causa longius arcessita videtur, cum praesertim de *antro*, de loco igitur cavo atque resonante, hic agatur. Roberto [1]) deinde plane assentior ianuam nostro loco alienissimam esse. Itaque Cyllene, Sileni calcibus excitata, eodem fere modo ex montis cavernis prodit, quo Aristoph. Av. 60 Epopis minister et mox (vs. 92) ipse Epops e rupe prodierunt, fortasse „per scaenae domus ianuam et materia et colore rupibus ita accommodatam, ut ab eis distingui facile non posset.", ut Koettgenia opinatur [2]). Utique igitur vs. 195 Wilamowitzii emendationem ἔπιθι pro tradita lectione ἑισιθι praefero, cum εἴσιθι legens de aditu quodam patenti atque conspicuo potius cogitaveris.

215. Cyllene.

In Euripidis Cyclope a feminis partes aguntur nullae, quod

[1]) Ibid.: „Wäre in den Ἰχνευταί die Tür einer στέγη oder der Eingang eines σπέος auf der Orchestra sichtbar, so hätten sich die Satyrn sofort darauf losstürzen müssen, da dann der Verdacht, dasz dort die Rinder verborgen seien, sich ihnen aufdrängen muszte."

[2]) Pag. 87. *Emersisse* Cyllenam, quod volunt Robertus et Wilamowitzius, e verbis traditis non apparet. A Koettgeniae opinione non multum differunt, quae Vollgraffius protulit (Mnem. 1914, pag. 86) putans ipsius scenae, e ligno exstructae, frontem ad spectatores conversam pictis montibus atque arboribus obductam fuisse atque sic montem Cyllenam repraesentavisse. Harrisonia (Essays and Studies pres. to William Ridgeway Cambridge 1914, pag. 136) coll. vs. 276 de colle thesauro subterraneo instructo cogitat, quod impugnat Koettgenia (pag. 89[149]). Frickenhausius (Die altgriechische Bühne. Straszburg, Trübner 1917, pag. 13) parum perspicue, ut opinor, explicat: „Die Höhle befand sich im Hintergrunde; dasz sie unterirdisch sei, wurde dann ebenso, wie in den Frieden (Fensterbusch. Die Bühne des Aristoph. S. 46) nur fingiert. Zwar war sie wohl schon von Anfang an sichtbar, existierte aber für das Spiel erst mit dem Moment der Benutzung: das entspricht dem Brauch der älteren Tragödie (vgl. Pers. und Choeph.) und der alten Komödie." Textus autem de his omnibus certi nil indicat.

tamen perlectis iis, quae uno illo loco [1]) de feminis dicta reperimus, nimis dolere fortasse non debemus. Hinc enim satis apparet feminae praesentiam hisce quidem Satyris paulum decoris afferre potuisse, sed ἐστυκότασ potius eos voluptati indulsisse. Diversa autem omnia apud Sophoclem sese habent, qui et in hoc leviore genere litterarum minime neglegenter egit, sed in Cyllenae imagine delineanda veram feminae naturam et ingenium cuivis acceptum nobis expressit.

Vidimus igitur Silenum petulanti saltatione Cyllenam ex antro elicientem, prodiit deinde nympha, cuius aspectu Satyros terrore affectos huc illuc sese proripuisse facile credimus [2]). Nam irata est et apertis verbis iram ostentat: mirabunda, quid istae „bestiae" [3]) sibi velint, truculenta atque superba despicit Satyros contemnitque, verbis minacibus eos castigans, ut matronae fastidiosae improbos servos in delicto deprehensos castigare solent; aptissime omnes illae sententiae per interrogationem enuntiatae animum nymphae vehementer commotum depingunt [4]), rectissime deinde servitutis mentio hic interseritur. Sic usque ad finem orationis ira nil remittitur [5]).

217. *τίσ ἥδε τέχνη; τίσ μετάστασισ πόνων;*

τέχνη, cf. 118. *πόνων*, apte confert Robertus Eur. Bacch. 66 *πόνον ἡδὺν* (*Βρομίου*).

218 sq. Versus difficillimi, de quibus Wilamowitzius [6]), et recte

---

[1]) 179 sqq. *οὔκουν, ἐπειδὴ τὴν νεᾶνιν εἵλετε,*
ἅπαντεσ αὐτὴν διεκροτήσατ᾽ ἐν μέρει,
ἐπεί γε πολλοῖσ ἥδεται γαμουμένη;

[2]) Cf. e. g. Satyros solis (?) imaginem fugientes in vasculo apud Reinachium „Répertoire des vases peints grecs et étrusques." pars I, pag. 109. Haud dubie nostrum ad locum — ut me monuit Vuerthemius — spectant verba Aristid. II, 399 D (Men., fr. 940 K): „*εἰ δέ τισ αὐτῶν περὶ ἐγκρατείασ διαλεγομένων ἀπαντικρὺ σταίη ἔχων ἔνθρυπτα καὶ στρεπτοὺσ, ἐκβάλλουσι τὴν γλῶτταν, ὥσπερ Μενέλεωσ τὸ ξίφοσ. Αὐτὴν μὲν γὰρ ἐὰν ἴδωσι τὴν Ἑλένην – Ἑλένην λέγω; θεράπαιναν μὲν οὖν ὁποίαν ἐποίησε Μένανδροσ τὴν Φρυγίαν, τῶι ὄντι παιδιὰν ἀποφαίνουσι τοὺσ σατύρουσ τοῦ Σοφοκλέουσ.*" (Cf. Eur. Andr. 630; Orest. 1287; Ar. Lys. 155, Vesp. 714.)

[3]) Vox „*θῆρεσ*" statim initio posita plena est contemptionis.

[4]) Cf. ad vs. 126.

[5]) Cf. vs. 234 *παραπεπαισμένων*.

[6]) l.l. pag. 6.

quidem, si textum traditum spectamus, sic annotat: „Für uns ist est seltsam, dasz diese Gesellschaft nicht frei ist, sondern einen Herrn hat, und dieser Herr, erzählt uns die Kyllene, hat früher mit Thyrsos und Nebris samt seinem Gefolge hinter dem Gotte getanzt: das ist die einzige Erwähnung des Dionysos .... Ich ahne nicht, wer der Herr sein konnte, vermutlich ist er am Ende bei der Freilassung der Satyrn genannt worden; aber die Zuschauer haben offenbar eine Aufklärung gar nicht nötig gehabt." Sed plura sic offendunt, nam credere non possum praeter Silenum vel Dionysum ipsum tertium quendam fuisse Satyrorum dominum nobis prorsus ignotum, at antiquis spectatoribus tam manifestum, ut nomen edere poeta supersedeat, immo ex Cyclopis versu ultimo (*τὸ λοιπὸν Βακχίωι δουλεύσομεν.*) et Anonymi sat. frg. pap. ab Huntio editi vs. 7 (*παῖδεσ δε νυμφῶν, Βακχίου δ' ὑπηρέται*), ne plura exempla citem, luce clarius apparet Satyrorum dominum Bacchum esse solere. Accedit, quod verba *νεβρίνηι καθημμένοσ δορᾶι χεροῖν τε θύρσον εὐπαλῆ φέρων* Dionyso [1]) ipsi, sed etiam Bacchantibus quam maxime conveniunt, cf. e. g. Eur. Bacch. 176 sq. *θύρσουσ ἀνάπτειν καὶ νεβρῶν δορὰσ ἔχειν, στεφανοῦν τε κρᾶτα κισσίνοισ βλαστήμασιν.* Denique et verbum *ζήτει* in margine appositum et initium versus 219 (*υμειν*) haud dubie demonstrant vitium quoddam latere. Quas omnes difficultates tolli videmus, si totam nobis rem sic fingimus. Vs. 218 nympha, Satyros in praecedentibus allocuta (216 *ὡρμήθητε*), ad *Silenum*, cum Nymphis [2]) liberisque suis [3]) (i. e. Satyris) assiduum Bacchi sectatorem, se vertit eumque pro omnibus compellat (vs. 218 *εἶχεσ*). Recte igitur in papyro vs. 221 *εὐίαζεσ* (pro *εὐιάζετ'*) manu altera emendatum legitur, et optime sic omnia procedunt excepto miro illo vocabulo *υμειν*, quod ex corrupto nomine proprio *Σίλην'* originem ducere

---

[1]) Cf. e. g. Eur. Hyps. fgm. (Nauck 752): *Διόνυσοσ, ὃσ θύρσοισι καὶ νεβρῶν δοραῖσ καθαπτὸσ κτλ.*

[2]) Cf. Hymn. Hom. XXVI. vs 9 *αἱ δ' ἅμ' ἕποντο νύμφαι.* Eur. Cyclop. 430.

[3]) De Sileno *Satyrorum patre* cf. e. g. Ind. 147, 163, 57 (?), Cyclop. passim. Lego igitur vs. 222 cum Wilamowitzio *παίδων ὄχλωι*, *filiorum* caterva. Vocabulum *παῖσ* eodem sensu compluries a Sileno Euripideo adhibetur (e. g. 16, 27, 269). Papyri lectionem *ποδῶν ὄχλωι* Pearsonius frustra vindicare conatus est Euripidis fragmento 322 *φιλημάτων ὄχλωι.*

Vuerthemius facile mihi probavit. Nam aptissime hic Cyllene, a Satyris ad Silenum se vertens, vocativo utitur et facillime haec CIΛ — CM corruptela ex litterarum ductibus explicatur. Hoc modo si interpretabimur, careri posse versu quodam facticio, qualem e. g. Vollgraffius[1]) addidit, vix opus est dicere.

222. Cum Maasio[2]) Vollgraffioque[3]) et ego credo „*ἔγγονοι νύμφαι*" h. l. significare *νύμφασ ἐγγενεῖσ* sive *ἐπιχώριασ*.

223. *τὸ χρῆμα*. Cf. ad vs. 136.

225—236. Ex textu tam misere corrupto ne quicquam certius concludere velimus, quam maxime cavendum est. Itaque prorsus non video, quomodo hic de venatoribus cogitari possit Apollinis ministris, qui agmen canum eius ducebant[4]). Verisimile autem est in vss. 225—228 (*ὁμοῦ πρέπον* . . . . . . *κλοπὴν* . . . . . . *ἐναι*) res vss. 170 sqq. actas a nympha referri (cf. 167 *κυνορτικὸν σύριγμα* cum vs. 225 *κελευμὰ κυνηγετῶν*): vocabula igitur *φωρ* . . . (vs. 227) et sequenti versu *κλοπὴν* ad Satyros Silenumque inter sese incitantes[5]), ut *furem furtumque* comprehendant, pertinere videntur. Fortasse etiam hinc apparet 170 sqq. *proelium* inter Silenum Satyrosque describi non potuisse, ut nonnulli coniecerunt[6]), quamquam hoc nimis urgere nolo. Vss. 229 sq. haereo; indicavitne fortasse Cyllene Satyros modo praeconium atque praemium ab Apolline propositum (cf. 193, 202) commemorantes se audivisse?

---

[1]) Mnem. 1914, pag. 90 . . . . *εὐπαλῆ φέρων* | [*στρατηλατεῖ, κισσοστεφεῖσ δ' ὑμεῖσ ἀεί*] *ὄπισθεν εὐιάζετ' κτλ.*

[2]) Deutsche Litteraturzeitung 1912, N°. 44.

[3]) Mnem. 1914, pag. 166.

[4]) Vollgraff. ibidem: „Cum autem *κήρυγμα* illud non nisi ad praeconium ab Apolline factum (vs. 33—38) referri possit, sequitur iam ut venatores, de quibus hic sermo est, eiusdem ministri sint, qui agmen canum eius ducebant. Confirmantur igitur hisce versibus ea, quae supra ad vs. 15 de *ἀκολουθίαι* adnotavi." Verum sensum Robertus perspexit in versione sua (pag. 17).

[5]) Cf. ad vss. 170 sqq. pag. 31.

[6]) Cf. ad vs. 169.

234. De verbo *παραπαίειν*, *delirare* cf. Aristoph. Pac. 90 ὦ δέσποτ' ἄναξ, ὡσ παραπαίεισ!, Plut. 508 ξυνθιασῶτα τοῦ ληρεῖν καὶ παραπαίειν, nisi de clamoribus absonis (valsch) hic adhibetur.

236—256. Nympha locuta Satyri tacentes totoque corpore trementes paulisper astiterunt. Tandem sese colligunt et blanda voce balbutiunt: „Iam desine, nympha gratia plena, diutius nobis suscensere, non enim te laedere in animo habebamus, sed potius narra, propitia facta, quid sonus ille infernus sibi voluerit (237—244). Summissas blanditias et verba suavia non irrita fuisse, sed nymphae animum iamiam sedari ex iis, quae sequuntur, intellegimus. Et nunc videte Silenum, quam lepide pergat nympham placare et quam iucunda gravitate eam ut maximam deam compellet verbis τόπων ἄνασσα τῶνδε, Κυλλήνησ σθένοσ κτλ. Cf. vocativus Ϝάνασσα Hom. ζ 149.

247. ἀλκασμάτ[ω]ν δ[ειλῆ]σ [τε πειρατηρίων
νύμφησ·

Legitur in Etym. M. p. 56. 10. ἀλκάζειν· μάχεσθαι, unde recte fortasse concludas ἄλκασμα esse pugnam, vim allatam („violent attacks" Pearsonius). Itaque Murravius Huntiusque ea suppleverunt, quae supra exscripsi, de Satyris vim Cyllenae inferentibus haec dicta esse aestimantes eodemque spectant, quae Allegrius annotavit (Rev. des Etud. Anc. 1913 pag. 259): „Cyllène semble parler d'un attentat possible à sa pudeur." Sed quomodo, obsecro, Satyros trepidissimos nympham temptasse vel attrectasse credibile est? Equidem numquam credere potero nec Wilamowitzium credidisse puto, qui pro voce ἀλκασμάτων coniecit λακασμάτων [1]). Attamen in versu tantopere mutilato quicquam mutare vereor, sed potius vox ἄλκασμα (geweldpleging) num dicta sit de πηδήμασιν κραιπνοῖσι καὶ λακτίσμασιν, quibus incitata dea indignata prodierit, dubitanter rogo.

249. De vocabulo ὀρθοψάλακτοσ cf. quae scripsi ad vs. 321.

252sqq. Gravior hic est quaestio, utrum hi versus Sileno

[1]) Ἅπαξ λεγόμενον a verbo λακάζειν (clamare, Aeschyl. Sept. 168, Supp. 851) deductum.

an chorago sint attribuendi. Chorago dandos censet Huntius, sed infirmis, ut opinor, nisus argumentis, quorum primum est: „but XII. 2—3 (291 sq.) and XIII, 14—16 (330—332) distinctly point the other [1]) way. To give those lines to Silenus is practically to make him here Coryphaeus." Concedo, ut iam prius concessit Wilamowitzius [2]). Hoc autem obstare, quominus hos versus alia argumentatione inducti Sileno attribuamus, nego, cum praesertim per totam fabulam Silenum chori ducis partibus fungi animadvertamus idque cum antiquiore fabulae origine cohaerere videatur, cf. Marquarti librum de Cyclopis Euripidei origine [3]) pag. 39: „Ist doch der Silen der ursprüngliche Chorführer der Satyrn, der sich von ihnen als Einzelschauspieler losgelöst hat.", quam opinionem *ante* nova Indagatorum fragmenta edita scriptis mandavit.

Alterum est argumentum: „It may also be noticed, that in IX 9—13 Silenus (if he is meant by *δεσπότῃ*) is apparently spoken of as if he were not present." Cum autem Dionysum esse *δεσπότην* statuerimus, hocce argumentum non valet. Quid, quod Wilamowitzius [4]) optimo iure intellexit fieri omnino non potuisse, ut furtim Silenus sine ulla iusta causa, verbo non dicto, evanesceret? Sileno igitur hos versus dare non dubito.

254. „Naturam soni explicare" Graece verbis *φράζειν τὸ φθέγμα* enuntiari non posse recte Vollgraffius Pearsonius alii animadverterunt. Quod vitium ut tollat, Vollgraffius [5]) languidam Theonis lectionem *τοῦτο πῶσ φωνεῖ* recipit, Pearsonius verba tradita vindicans vertit: „tell us what this sound means.", perperam, si quid video, nam *ὅ τι(τί)* tum potius exspectandum erat (cf. 302). Equidem utrum scriptoris errore *φράσον* ex fine versus praecedentis irrepserit, ita ut deleto emblemate aliud

---

[1]) Sc. non esse Silenum, qui loquitur.

[2]) Sonderabdr. pag. 15: „Silen bekommt eine Rolle, wie wir sie allgemein gewöhnt sind dem Chorführer zu geben, der die Jamben für den Chor spricht, ohne von diesem gesondert zu sein."

[3]) Die Datierung des Euripideïschen Kyklops. R. Marquart. Halle a S. 1912.

[4]) Sonderabdr. pag. 15: „dasz Hunt annimmt, er wäre weggegangen, was doch wirklich wortlos nicht geschehen konnte."

[5]) Mnem. 1914, pag. 170.

verbum quidcumque sit substituendum, an potius coll. 255 *ζεῦγμα* adesse verisimile sit, diiudicare non audeo.

255. Sileno lyrae sonus minime placet, itaque et ipsum lyrae cantorem horrisono illo instrumento delectari posse non credens amaro risu rogat: „Et quisnam est mortalium, qui eiusmodi sono ad imas usque medullas percutiatur?" *Passivo* igitur sensu *διαχαράσσεται* adhibitum esse censeo [1]).

256—282. Risit, opinor, Cyllene fictas Sileni blanditias grandesque titulos, sed ridens quidquid adhuc irae supererat, deposuit et libenter arripit occasionem disserendi de infantulo, deo quidem adultero et furtivo amore nato, at . . . . . suo alumno, quod iure gloriatur vs. 266 *τοῦτον δὲ χερσὶ ταῖσ ἐμαῖσ ἐγὼ τρέφω.* Etenim verae est nutricis summis laudibus pupulum ornare, cum praesertim infans ille tantopere ceteris praestet. Itaque non miramur, immo quam maxime gaudemus, cum audimus Cyllenam dulci loquacitate Satyris enarrantem, quanta cura noctes diesque delicias suas foveat, quam accurate cibum potionemque aliaque omnia provideat, idque non frustra, nam mirum, quantum nunc ceteros suae aetatis infantulos omnibus rebus superet. Cum hac nutricis persona cf. Aeschyl. Choeph. 755 sqq. *οὐ γάρ τι φωνεῖ παῖσ ἔτ' ὢν ἐν σπαργάνοισ, ¦ εἰ λιμὸσ ἢ δίψ' εἴ τισ ἢ λιψουρία | ἔχει·* neque aliena videntur Ar. Nub. 1380 sqq., Hom. I 485, *X* 500.

259. Iovem quam maxime curavisse, ne furta sua essent „in toto notissima fabula coelo" (Ov. Met. IV. 189), non est, quod miremur; causam igitur non video, cur cum Vollgraffio sic potius distinguas:

καὶ γὰρ κέκρυπται τοὔργον, ἐν θεῶν ἕδραισ
Ἥραν ὅπωσ μὴ πύστισ ἵξεται λόγου.

Cf. Hymn. Merc. vs. 8 *λήθων ἀθανάτουσ τε θεοὺσ θνητούσ τ' ἀνθρώπουσ.*

---

[1]) Eodem fere modo Vollgraffius: „risus captandi causa *κατ' ἀντίφρασιν* pro *τέρπεται* positum est." et Wilamowitzius vertens: „sie geht durch Mark und Bein." Sond. 5[3].

265. Optimo iure Vollgraffius Huntii interpretationem: „and in a *lonely* cave he begat a son." reicit, at immeritissimo Terzaghium ridet [1]) vertentem: „Nella grotta genero un figlio solo." Non enim Cyllene monere vult, ne geminos peperisse Maiam quis exspectet, sed pia nutrix Satyros docet, quanta cura quantoque amore hoc pignus carissimum sibi fovendum esse putet. Itaque verborum ordinem servans sic vertere velim: „filium generavit, quem *unicum* Maia nunc habet." *Μόνον* vulgo esse *unicum* filium, sed *ἕνα unum* Vollgraffius neglexisse videtur. Cf. Herod. I. 38 *εἷσ γάρ μοι μοῦνοσ τυγχάνεισ ἐὼν παῖσ.* Koettgenia confert Pind. III. 100; Hom. *Ξ* 492. Vid. etiam Eur. Androm. 1083 *παῖσ μόνου παιδὸσ μόνοσ*; Xen. Cyr. Inst. IV. VI. 3 *ὅσ γάρ ἦν μοι μόνοσ καὶ καλὸσ καὶ ἀγαθὸσ κτλ.* Cyllenam de unico Iovis apud Maiam filio narrantem alios apud alias Iovis filios, qui ei non erant cordi quosque ignorabat fortasse, oblitam esse me quidem non offendit.

Ex omnibus, quae hic atque alibi leguntur, apparet apud Sophoclem non solum Mercurium, sed boves etiam in *monte Cyllena,* ubi est Maiae spelunca, reperiri: hymnus contra nobis narrat boum gregem a Mercurio *Pyli* occultatum esse (Hymn. 101, 342, 355). Quae huius discrepantiae sit causa, non longe quaerendum est, nam Sophocli curandum erat, ut cuncta uno eodemque loco agerentur. Apte igitur Robertus hic comparat vasorum picturas, ubi iuxta Mercurium in cunis iacentem bovem vel boves delineatos videmus. Cf. Mon. d. Inst. II tav. 15; Archeol. Zeitung. 1844 Taf. 20; van Hoorn, Diss. Amstelod.: „De vita atque cultu puerorum monumentis antiquis explanato.", pag. 6, tab. 3.

267. Partes haud exiguae, quas *Maiae,* Mercurii matri, potius attribuendas fuisse hymni Homerici lector fortasse existimet [2]), in fabula Sophoclea a nympha *Cyllena* aguntur, cuius rei ipse Sophocles lepidam sane et laeto satyrorum

---

[1]) Mnem. 1914, pag. 171: „Sed hoc paene ridiculum est: geminos enim peperisse Maiam quis exspectat?"

[2]) Idem, nisi fallor, dicere voluit Robertus minus accurate annotans: „Die Rolle, die in dem Hymnos Maia hat, gibt Sophokles der Ortsnymphe Kyllene."

generi commodam causam attulit: *μητρὸσ γὰρ ἰσχὺσ ἐν νόσωι χειμάζεται·* — „dea, mater recens facta, e lecto nondum surgere potest''. Lepide, aio, sed etiam parum religiose Maiae absentia, tamquam si esset *mortalis* puerpera, sic probatur, qua re numquam credere potero Sophoclem unice ad has pedestres facetias promendas novam personam induxisse, sed mihi potius sic fingo poetam quacumque ratione Cyllenam pro Maia substituere coactum, deinde causam ad hanc rem probandam excogitavisse. Quae autem fuit illa ratio, qua Maia a scena arcenda erat? Robertus (Herm. 1912 pag. 555) opinatur: „Der Grund ist sehr durchsichtig. Maia konnte ihren Liebeshandel mit Zeus doch nicht selbst den Satyrn erzählen.'', quae opinio quamquam veri fortasse aliquid habet, satis mihi placere non potest, quod iustam causam paulo longius repentendam censeo. Etenim Maia, dei mater, et ipsa deorum numero habenda est (Hymn. Merc. 5 *αἰδοίη*, vs. 183 *πότνια* vocatur, cf. 154 *μητέρα δ' οὐκ ἄρ' ἔληθε θεὰν θεόσ.*); Satyrorum autem qualis sit natura atque ingenium, non est demonstrandum. Prudenti igitur consilio egit poeta, quod rixas inter Satyros semiferos et divam dei matrem ortas spectatoribus offerre noluit; noluit Maiam inducere, quae omni auctoritate dignitateque omissa, ut mox videbimus, hoc solum denique spectaret, ut impiis Satyrorum opprobriis et ipsa inania maledicta responderet. Et fac revera Sophoclem talia voluisse, auditorum risus idem, opinor, mansisset, verus tamen lepor longe afuisset. Accedit, quod Cyllena si abesset, expertes essemus nutricis personae, qua nullam fere venustiorem Graecas litteras nobis exhibere contendere ausim.

268. [*κἄδεστ*]*α* supplet Wilamowitzius. Buechererus (Berl. Phil. Woch. 1912, 1108) rectius fortasse legit *κἄδεσμα* coll. Plat. Tim. 72 *ποτὰ καὶ ἐδεστά*, sed 73A *τῆι τοῦ περιγενησομένου πόματοσ ἐδέσματόσ τε ἕξει.*

270. [*ἐξευθ*]*ετίζω*. Simplex verbi, quod significat „suo loco ponere, constituere'' (nos: „in orde brengen, regelen'') legitur Hes. Theog. 540 sq. *τῶι δ' αὖτ' ὀστέα λευκὰ βοὸσ δολίηι ἐπὶ τέχνηι | εὐθετίσασ κατέθηκε.* Ad sensum melius est profecto verbum

270 λικνῖτις τροφή – Immerito igitur perhibet ... l. l. pag. 1092 λίκνον temporibus classicis apud ... usitatum non esse.

ἐξευτρεπίζειν (parare), quod mavult Vuerthemius coll. Eur. El. 75 *τὰν δόμοισ δ' ἡμᾶσ χρεὼν ἐξευτρεπίζειν.*

273 sq. *[οὔπω γ]ὰρ ἕκτον ἦμαρ ἐκπεφασμέν[ο]σ*
[γυίοι]σ ἐρείδει παιδὸσ εἰσ ἥβησ ἀκμήν.

Haec non congruunt cum Hymn. Merc. vss. 17 sqq., ubi factum haud vulgare sobria brevitate annotatum legimus: *ἠῷοσ γεγονώσ, μέσωι ἤματι εὖ κιθάριζεν,* | *ἑσπέριοσ βοῦσ κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνοσ.*

Unde haec discrepantia? Robertus censet: „Ein sprechendes Wickelkind war im Drama unmöglich. Daher verlegt Sophokles die Handlung auf den sechsten Lebenstag des Hermes." Hic equidem haereo, qui semper putaverim mortales infantes sive unum sive plures dies natos semper adhuc esse *σπαργανιώτασ* necdum loqui posse, deorum contra proli a poetis nobis descriptae nihil non licere, itaque Maiae infans sex horarum sit an sex dierum prorsus nil interesse. „At," respondebis fortasse cum Roberto, „e verbis *γυίοισ ἐρείδει κτλ.* luculenter apparet, „dasz Hermes eine jener jünglinghaften Knabenrollen war, wie sie in der griechischen Tragödie nicht selten sind."

Reverane igitur credamus [1]) Mercurium iam non infantem, sed puerum, immo adulescentem esse visum, Mercurium, cuius *πρὸσ σπαργάνοισ νύκτα καὶ καθ' ἡμέραν μένειν* Cyllenam modo audivimus? Ergone lepidum illum iocum, quo hymni auctor Mercurium *σπαργάνοισ* obvolutum tot tantaque facinora perpetrantem identidem nobis ostendit (cf. e. g. vs. 388) a Sophocle in satyris suis neglectum esse verisimile videtur?

Quid, quod ne ipsi quidem Roberto persuasum est „dasz ein sprechendes Wickelkind im Drama unmöglich war", nam scribit (Herm. 1912, pag. 559): „Nun steigt Hermes auf, aber ohne die Leier, *vielleicht mit einer Andeutung der Windeln.*"

---

[1]) Ut credidit Koettgenia pag. 7: „Mercurium, infantem modo natum poeta mira ratione crescentem fecit, ut adulescentulum, *qui a flore aetatis non longe abesset,* in scenam producere posset."

Legitimum histrionem, non verum puerum, Mercurii partes suscepisse et ego credo, sed infantili ornatu eum fuisse pro certo habeo. Cf. Brygi picturam a Vollgraffio Mnem. 1914, pag. 173 nobis descriptam et expressam apud. v. Hoorn l. l. tab. III.

Causam igitur a Roberto prolatam minus rectam iudicans ipse, quae veriora mihi videntur, proponam.

In iis, quae de Apollinis itinere disputavi, probare conatus sum iter illud plenum fuisse errorum, unde sequitur, ut eiusmodi iter — aliter atque hymnus nobis narrat — intra paucas perfici horas non potuerit, sed per complures dies perductum esse necesse sit. Itaque cum Mercurium, ut in hymno, sic etiam in fabula conicimus vespertino diei natalis tempore boves rapuisse, haec quinque dierum aetas quodammodo indicio nobis esse potest, *quamdiu* Apollo boves perquirens per varios fines erraverit. Quamquam nimis urgere hoc nolo, nam ex fragmentis nobis traditis nusquam apparet Mercurium ἑσπέριον vaccarum furtum commisisse. Sed altera etiam causa nobis praesto est. Etenim si Sophocles cum hymno finxisset Mercurium iam secundo die, postquam natus esset, ab Apolline inveniri, omnino fieri non poterat, ut Cyllene tam pia diligentia νύκτα καὶ καθ᾽ ἡμέραν alumnum suum foveret atque curaret, alumnum scilicet, quem vix novisset, quin etiam vix vidisset, cum per maius temporis spatium foris eum commoratum esse necesse esset. Quod intellegens Sophocles optimo iure hymni argumentum leviter mutavit et Mercurium iam quinque dies natum esse spectatores docuit.

Satis est aptum Wilamowitzii [1]) supplementum [γυίοι]σ, quod Pearsonii [τύπου]σ praefero. Vollgraffius autem paulo contortius nominativum ἐκπεφασμένοσ absolute positum esse putans cum Huntio mavult [ἰσχὺ]σ ἐρείδει.

276. Iusta superbia laudationem Cyllene sic concludit: „En talis est meus alumnus, qui hoc sub monte conditus est!" Non tam propter formam [2]), quam quod infans ille pretiosissimus ibi asservatur, mons θησαυρόσ nunc vocatur. Ecquid praestat παῖδ᾽ ὁ θησαυρόσ?

277. [δυσεύρε]τόσ [τ᾽ ἔτ]᾽ ἐστὶ τοῦ πατρὸσ θέσει, nisi mavis cum

[1]) Sonderabd. pag. 6²: „ein rasch wachsender Junge pflegt mit den Armen und Beinen das Ziel am ehesten zu erreichen."

[2]) Sic Jane Ellen Harrison in libro, cui est titulus Essays and Studies presented to William Ridgeway, Cambridge 1914.

Pearsonio [*κατάσχε*]*τοσ* [*δ' ἔτ*]' *κτλ.* (ed. Cantabr. pag. 259: „on the ground that a word expressing intentional concealment is required.") Vollgraffius proponit *κἀνένδυτόσ γ' ἔτ' ἐστὶ τοῦ πατρὸσ θέσει* („iussu patris adhuc *veste caret*"), sed Huntii vel Pearsonii supplementum multo praestare arbitror, nam, etsi omnia, quae de Mercurio *σπαργανιώτηι* [1]) disseruit, verissime sunt disputata, non tamen intellego, cur utile sit „aliquid praemonere et docere spectatores, quam ob rem Mercurium adhuc infantili ornatu contentum esse oporteret."; sic equidem contra vererer, ne totus iocus ad irritum caderet. Et quid spectans Iuppiter Optimus Maximus subito tam *πολυπράγμων* est factus, ut filioli sui vel pannos curet?

πατρὸσ θέσει. Auctore Huntio omnes vertunt „patris iussu". Fortasse tamen patris *depositione* (i. e. a patre depositum) in thesauro filium asservari poeta dicere voluit, cum pater eum ibi *depositum esse, manere* vellet. Cf. Soph. fragm. 326 (Pears.) *τὴν ⟨δ'⟩ οὔτισ ᾔδειν ἐκ θεοῦ κεκρυμμένην.*

278. *βρέμ*[*ον.* Cf. quae scripsi ad *ῥοῖβδοσ* pag. 20[3]).

278—290. Versus corruptissimi. Vss. 283—290 Satyri, parum creduli, de nymphae narratione nil se credere declaraverunt, quod ex vs. 291 *μὴ νῦν ἀπίστει* et vs. 292 *καὶ πῶσ* efficere possumus.

291—306. Deinde Cyllene hilari animo ludificans aenigma dat iis solvendum, quod, quamvis haud obscurum, ut sunt rudes ingenio, solvere nullo modo sciunt, cuius loci indolem Peladanus [2]) acute designavit his verbis: „Ce dialogue ne serait pas possible avec des rustres comme Bottom; il faut des êtres que la civilisation n'a pas touchés encore, et dont les ridicules n'aient aucun caractère social ni ethnique." Primam huius dialogi originem quodammodo ab hymno Merc. vs. 38 *ἢν δὲ θάνῃσ, τότε κεν μάλα καλὸν ἀείδοισ* ducendam esse haud male animadvertit Robertus.[3]) Cf. etiam Nic. Al. 560 *αὐδήεσσαν ἔθηκεν, ἀναύδητόν περ ἐοῦσαν.* De Pacuvii fragmento apud Cic. de Div. II. 133 mox agemus.

---

[1]) Mnem. 1914, pag. 172 sq. Cf. etiam Kuiperi annot. de Mercurio *Σπαργανιώτῃ* in Mnem. 1910, pag. 42².

[2]) Le Figaro. Supplém. Littér. 10 Août 1913.

[3]) Vide, quae annotavi ad vs. 81.

291 sqq. Iambici tetrametri acatalectici, in dramate Attico inusitati, nisi forte Soph. frg. 738 (Pears.) *κἀνταῦθα . . . . πᾶσ προσκυνεῖ δὲ τὸν στρέφοντα κύκλον ἡλίου*, ut est Murravii opinio, quamquam minime constat. „The iambic octonarii of Roman comedy furnish an exact parallel." (Pearsonius).

291. *προσγελᾶι.* Aeschyl. Eum. 253 *ὀσμὴ βροτείων αἱμάτων με προσγελᾶι* et Aristoph. Pac. 600 *τἄλλα θ' ὁπόσ' ἐστὶ φυτὰ | προσγελάσεται λαβόνθ' ἄσμενα.*

292. *καὶ πῶσ.* Cf. ad vs. 133. De verbo *βρέμειν* vid. ad pag. 20[3]), vs. 278.

295. Papyri lectionem *χυτροιδήσ* fortasse per contractionem e *χυτροειδήσ* provenisse, itaque non temere abiciendam esse monet Vollgraffius, at in papyro legitur *χυτρόιδησ*, non *χυτροιδήσ*, quam ob rem praefero cum Huntio *χυτρώδησ.*

Participium *κατερρικνωμένοσ* quamquam etiam de corpore et membris rigide incurvatis et contractis dici potest [1]), potius hic pertinet ad pellem duram et rugosam (= *ἐρρυτιδωμένον* [2]). In frg. Cercid. legitur *τὸ τᾶσ ῥικνᾶσ χελώνασ | ἀμναμονεῖσ.* (Hiller Anthol. Lyr. LIII. 3.) Nostro versu aliena sunt, quae apud Phot. pag. 489. 1. et Suidam inveniuntur: „*ῥικνοῦσθαι, τὸ διέλκεσθαι καὶ παντοδαπῶσ διαστρέφεσθαι κατ' εἶδοσ. λέγεται δὲ καὶ ῥικνοῦσθαι* (Phot. *ῥιγνοῦσθαι*) *τὸ καμπύλον γίγνεσθαι ἀσχημόνωσ καὶ κατὰ συνουσίαν καὶ ὄρχησιν κάμπτοντα τὴν ὀσφῦν. Σοφ. Ἰχνευταῖσ.*"

De Satyrorum saltatione hic agi potius credam.

296. *ἥ τωσ πόρδαλισ.* Stahlius (Rh. Mus. 1913, pag. 307) coll. Soph. O. C. 563 *ὥσπερ σύ, χὠσ τισ πλεῖστ' ἀνὴρ ἐπὶ ξένησ* et hic proposuit *χὠσ*, quae coniectura neque verisimilis, — nam coniunctionem satis vulgatam et vocabulum rarius usitatum (*τωσ*) a librario permutari credibile non duco, — neque coll. quae annotavimus ad vs. 39 necessaria videtur.

[1]) Cf. Hymn. Apoll. 317 *παῖσ ἐμὸσ Ἥφαιστοσ, ῥικνὸσ πόδασ, ὃν τέκον αὐτή.*
[2]) Suid. *κατερρικνωμένον. συνεστραμμένον, κάμπυλον γενόμενον, ἐρρυτιδωμένον.*

297. *γογγύλοσ, rotundus.* Cf. Aristoph. Pac. 28, Thesm. 1185.

298. Legitur in papyro:

οὐδ' ὡσ ἰχνευτῆι [1]) *προσφερὲσ πέφυκεν οὐδ' ὡσ καρκίνωι;*

ubi aut dativum aut coniunctionem *ὡσ* supervacuam esse quivis videt, nisi auctore Terzaghio „*ὡσ* come limitativo, simile, per modo di dire." cum adiectivo *προσφερέσ* coniungas, quod salva lingua, ut opinor, fieri non potest. Neque tamen vitium latere, sed duas loquendi formulas (*ὡσ ἰχνευτὴσ* et *ἰχνευτῆι προσφερέσ*) inter se permixtas esse credo. Itaque non est, cur cum Wilamowitzio pro dativo nominativum substituamus.

300. De *κανθάροισ Αἰτναίοισ* Atheniensibus notissimis cf. Arist. Pac. 73 *εἰσήγαγ' Αἰτναῖον μέγιστον κάνθαρον* et Leeuwenium Mnem. 1907, pag. 271 sqq. et Vuerthemium ibid. pag. 335 sq.

301. De voce *κνώδαλον* (monstrum, bèlua) lepide nunc adhibita cf. Arist. Vesp. 4 *ἆρ' οἶσθα γ' οἷον κνώδαλον φυλάττομεν;* Lys. 476 *τί χρησόμεθα τοῖσδε τοῖσ κνώδαλοισ;*

Alterum similitudinis inter testudinem et scarabaeum exemplum Vollgraffius ex Hesychio affert, apud quem legitur: „*χελωνιάσ, ἡ ποικίλη κανθαρίσ.*"

302. Eiusdem generis est quaestio perridicula Arist. Nub. 157 sqq. *τὰσ ἐμπίδασ | κατὰ τὸ στόμ' ᾄδειν ἢ κατὰ τοὐρροπύγιον.* Duos autem locos tantopere inter se congruere, ut alter alterum spectasse probabile sit, nego.

303. Textus valde perturbatus, in quo fueritne *ορινη* an *ορεινη*, *τῶν ὀστρέων* an *τῶν ὀστράκων*, non constat. De voce *ὄστρακον* cf. hymn. Merc. 33 *αἰόλον ὄστρακον ἕσσο χέλυσ ὄρεσι ζώουσα.* Vollgraffius supplet *λο[πὰσ] ὀρεινὴ* (montana patina), quod de animali *χυτρώδηι, ὄρεσι ζώοντι* haud illepide dicitur.

304. *εἴ τι πλέον ἔχεισ.* Auctore Huntio et *παρὸν ἔχεισ* legi potest, quod fortasse praeferendum est, nam collatis iis, quae Leeuwenius

---

[1]) Maasius (Berl. Phil. Woch. 1913, 227): „*ἰχνευτῆι*, was ich D. Litteraturzeit. 1912, 2784 gefordert hatte, steht im Papyrus, wie mir Hunt mitteilt." De *ἰχνευτήσ* voce cf. Herodot. II. 67.

annotavit ad Arist. Plut. 531 vereor, ne forte locutio *εἴ τι πλέον ἔχεις* vertenda sit: „si quid tibi proderit", quod huc non quadrat.

306—315. Lyrae descriptio.

Collato hymni Mercurii argumento et iis, quae leguntur apud Apollod. Bibl. III. 9, 2, 3.: *εἰς Κυλλήνην ᾤχετο καὶ εὑρίσκει πρὸ τοῦ ἄντρου χελώνην· ταύτην ἐκκαθάρας εἰς τὸ κύτος χορδὰς ἐκτείνας, ἐξ ὧν ἔθυσε βοῶν καὶ ἐργασάμενος λύραν εὗρε καὶ πλῆκτρον,* duas adesse videmus mythi Mercurii formas, quarum altera nobis narrat post lyrae inventionem boves a Mercurio esse abductas, altera vaccis raptis demum lyram a deo infante compositam esse. Utro autem ordine Sophocles in satyris suis usus est? Inter omnes interpretatores constat eum fuisse ordinem Sophocleum, ut prius boves raperentur, deinde corium ad lyram faciendam adhiberetur et quamquam e fragmentis certi nil apparet, — vss. 365 sqq. chori tantummodo demonstrant opinionem, — totum fabulae consilium hunc solum admittere ordinem ego quoque quam persuasissimum habeo, cum praesertim nusquam Cyllene, defendens alumnum, suarum boum iam diu ante Mercurium natum suo in monte latentium, unde igitur Mercurius corium sibi parare potuisset, mentionem faciat, quod profecto non neglexisset, si boves affuissent. Non tamen ideo pro certo constare poetam hoc loco ab hymno declinantem vetustiorem quandam narrationem secutum esse neque Apollodoro *Sophoclem* utique auctorem fuisse debere, vix est quod moneam, nam: „der Gedanke der Umkehrung — ut recte animadvertit Robertus[1]) — liegt so nahe, dasz jeder darauf verfallen konnte, ja eigentlich muszte." Sed de ordine narrationis hactenus.

Postquam igitur Cyllene, ut Satyrorum curiositati satisfaciat Mercurium miram lyrae inventionem fecisse lepide docuit et chorus deinde, ut e contextu facile conici

---

[1]) Herm. 1912, pag. 556 sq. Quod autem paulo audacius contendit hymni ordinem omnino ferendum non esse, atque Mercurio si corium bovinum praesto esset, et boves abesse non potuisse, apte refutant Kuiperus (Mnem. 1910, pag. 36 sqq.) et Koettgenia (pag. 8 sqq.) optimo iure monentes fabulosa et caelestia nimis virum ingeniosum ex terrestribus metiri, at poetam *μυθολόγον*, ut ad rationis normam omnia redigeret, non anxie curavisse.

potest, rogavit, qua tandem ratione mirabile illud instrumentum fieret, nympha iis respondet amplissima descriptione, quam totam fere perisse satis doleri nequit. Hoc tamen ex reliquiis statuere possumus lyram Sophocleam et verticillis (vs. 312 *κόλ]λοπεσ*)[1]) et corio instructum fuisse, quod *δέρμα* (vs. 307) quin idem sit atque hymni vs. 49 *δέρμα βοόσ*, in dubio non est. Sic enim proterva Satyrorum accusatio (325 sqq.) statim post Cyllenes verba enuntiata et mox, dum nympha magis magisque irascitur, pertinaciter repetita (vss. 335 sqq., 362 sqq.) facile explicatur. Cetera autem, quae de lyrae compositione tradita habemus, tam sunt ambigua (310 . . *πλεκτα*, 313 *αμματω*, 337 *καθήρμοσε*, 338 *τεμὼν*, 340 *δ[ο]ρᾶ*), ut inde certius quicquam elici prorsus non possit. Restat vocabulum *ῥινοκόλλητοσ* (366), quod aliquid lucis praebere videatur, imprimis Roberto, qui uno ex hocce vocabulo hymni versuum 47—51 novam eamque meliorem interpretationem deduci posse sperat. Sed priusquam hunc audimus, versus exscribamus:

47. *πῆξε δ' ἄρ' ἐν μέτροισι ταμὼν δόνακασ καλάμοιο,*
πειρήνασ[2]) *διὰ νῶτα, διὰ ῥινοῖο χελώνησ.*
ἀμφὶ δὲ δέρμα τάνυσσε βοὸσ πραπίδεσσιν ἑῇισι,
καὶ πήχεισ ἐνέθηκ', ἐπὶ δὲ ζυγὸν ἤραρεν ἀμφοῖν,
ἑπτὰ δὲ συμφώνουσ ὀίων ἐτανύσσατο χορδάσ

---

[1]) Horum in hymno mentio non fit. Cf. Hom. *φ* 407 *ῥηϊδίωσ ἐτάνυσσε νέῃν περὶ κόλλοπι χορδήν*, Arist. Vesp. 574 *τῆσ ὀργῆσ τὸν κόλλοπ' ἀνεῖμεν*, Luc. D. D. 7 (*κολλάβουσ*).

[2]) Variis coniecturis hunc versum tentatum esse scio, quin etiam Matthiaei coniecturam *τετρήνασ* pro *πειρήνασ* valde mihi placere haud nego. Attamen Koettgenia (pag. 65) verba tradita iure vindicare mihi videtur, quae verbum *πῆξε* cum *διὰ ῥινοῖο*, participium *πειρήνασ* cum *διὰ νῶτα* coniungens sic explicat: „*πειραίνειν* forma Ionica est, cui Attica *περαίνειν* ab eodem verbo primitivo **περ-Fαίνειν* derivata respondet. In dialecto Attica hoc verbum translate usurpatum sicut in Odysseae libro *μ* 37 plerumque significat rem quandam ad finem perducere. Significationi autem translaticiae respondere solet propria, quam, priorem sine dubio, hoc hymni in Mercurium loco nobis servatam esse puto. Verbo *πηγνύναι* usus poeta expressit deum arundines testae infixisse, verbo *περαίνειν* illum eas *διὰ νῶτα*, per tergum, „den Rücken entlang", ut Germanicis utar verbis, usque ad finem, i. e. contrariam oram perduxisse." Cf. et Ebelingium s.v. *πειραίνειν* ad *χ* 175. Sic autem necessaria est Allenii coniectura (in ed. Ox. 1912) *κατὰ νῶτα*.

quos versus Matthiaeus sic interpretatur: „Mercurius testudinis testam dorsalem intus consternit arundinibus transversis per tenuia foramina ab altero latere ad alterum ductis, his autem corium intendit, ἠχεῖον sive fundum resonantem ita parans; deinde huic fundo adaptat bracchia iugo iuncta, cui nervos alligat.", qua in explicatione omnes fere hymni vel huius loci commentatores [1]) Matthiaeum sequuntur; itaque firmis argumentis debet esse munitus, si quis tantam auctoritatem oppugnare non vereatur et simpliciori interpretationi coniecturam satis incertam praeferre velit. Scribit autem Robertus haec (Herm. 1912 pag. 557): „Hier (sc. in lyrae descriptione *Sophoclea*) finden wir nun gleich im Anfang das Stichwort δέρμα, und später nennt der Chor die Leier ein χρῆμα ῥινοκόλλητον. Folglich (?) haben bei Sophokles die Rinderhäute weder als Resonanzboden, noch zür Verkleidüng der Stege, noch zur Herstellung der Saiten gedient, vielmehr sind sie es, die das ganze Gefüge zusammenhalten, also (?) zwischen der Schildkrötenschale und den Stegen nebst Joch, die bei Sophokles wohl wie im Hymnos aus Rohr waren (?), die Verbindung schaffen. Er hat also V. 49 anders aufgefaszt wie die Modernen." Ut libere dicam, quod sentio, hic haereo, nam prorsus me latet, qua ratione Robertus hanc coniunctionem (Verbindung) sibi cogitaverit. Et fac verba „also zwischen . . ." etc. revera rectam explicationem qualemcumque continere, equidem non video, quomodo talem explicationem ex nudo adiectivo ῥινοκόλλητον extorquere possimus. At Robertus ipse accuratiorem dedit descriptionem, nam hymni versus laudatos interpretans sic pergit: „Hermes verfügt also über viererlei Material: 1) Die Schildkrötenschale, die als Resonanzboden dient [2]), 2) Rohrstengel, aus denen er offenbar nicht nur den untern Steg herstellt, der auch später noch κατ' ἐξοχήν als δόναξ bezeichnet wird, sondern auch den obern das ζυγόν und die πήχεισ oder

[1]) e. g. Gemollium, Sikesium, Leeuwenium ad Arist. Ran. 233, Koettgeniam.

[2]) Utique tamen *corio* constrata esse debet testudo, sine quo fundus *resonans* fieri non potest. Robertus id neglexisse videtur.

κέρατα [1]), 3) die Rindshaut, 4) die als Saiten dienenden Schafdärme, die uns hier nicht weiter interessieren. Er verfährt nun so, dasz er aus den Rohrstengeln Stäbe von bestimmten Maszen herstellt, die Schildkrötenschale durchbohrt und in diese Löcher den einen Stab, der den unteren Steg bildet, hineinschibt. Nun folgt der strittige Vers ἀμφὶ δὲ δέρμα τάνυσσε βοόσ, und diesen hat Sophokles offenbar so verstanden, *dasz Hermes um die aüszeren, seitlich aus der Schildkrötenschale vorstehenden Enden des unteren Stegs Lederriemen breitet (?), um sie zu befestigen und ein Verschieben zu verhindern.*"

Statim Roberto concedo versum ἀμφὶ δὲ δέρμα τάνυσσε βοόσ satis esse languidum et ancipitem, numquam tamen credere potero actionem illam, quam Robertus verbis „um die aüszeren... breiten" significavit, Graeca lingua adiectivo ῥινοκόλλητοσ enuntiari posse nec umquam concoquam haec lora, quibus ne δόναξ inferior moveatur loco, cavendum est, eadem esse, quae et totius instrumenti compositionem et variarum partium coniunctionem efficere supra vidimus [2]). Haec omnia mihi incertissima apparent et talia si quis cum clara antiquae explicationis simplicitate comparabit, utrum sit eligendum, non dubitabit.

Itaque Roberti conclusionem: „dasz diese Sophokleïsche (i. e. Robertiana) Interpretation vor den modernen den Vorzug verdient, steht wohl auszer Frage.", cum firmis argumentis non sit probata, utique reiciendam esse censeo. Hoc denique Robertus non satis observasse mihi videtur, in verbis tantopere mutilatis et ambiguis probabili coniecturae locum non esse, quod autem ad verba etiam nunc nobis servata pertinet, quo modo nostro loco sint adhibita, non quidem liquere, sed tamen in solitam hymni explicationem ea quam optime quadrare, itaque in re tam dubia hoc unum cum aliqua probabilitate a

---

[1]) Sed haec omnia ex calamis facta esse et iugum inferius affuisse unde apparet? Nititur Roberti opinio mala Aristophanis (Ran. 233 sq.) Pollucisque (IV, 62) interpretatione, de qua iam prius Gemollius (die Hom. Hymnen, pag. 201) et Leeuwenius (ad Arist. l. l.) fusius disputaverunt. Vid. et Koettgeniam pag. 67[115]).

[2]) „Das *ganze* Gefüge zusammenhalten, also zwischen der Schildkrötenschale und den Stegen nebst Joch die *Verbindung* schaffen."

nobis statui posse Sophoclem causam non habuisse, cur in *τεχνικῆι*, ut ita dicam, descriptione ab iis, quae hymnus narrabat, discederet. Utique tamen tenendum est discrepantiam qualemcumque inter hymni atque Cyllenae verba ex voce *ῥινοκόλλητοσ* elici nec posse nec licere. E contextu enim luculenter apparet, quam vim coloremque vocabulum hoc loco obtineat. Satyri descriptionem audiverunt instrumenti, de quo adhuc nihil cognoverant nec unquam cognoscere volunt, optime tamen intellegunt mirum illud Musarum instrumentum, ex rapto bovis corio factum esse; itaque praeter hoc et Cyllenae irati, quod furtum a Mercurio commissum confiteri non vult, maligna contemptione lyram *χρῆμα* vocant *ῥινοκόλλητον* [1]), stricto sensu instrumentum esse non *ῥινοῖσ κεκολλημένον* parum curantes, ut irati solent esse negligentiores in loquendo.

309. De fragmento a Schenklio huc inserto vide infra pag. 62.

316—321. Versus dulcissimos, quibus novi vis instrumenti a Cyllena, vel potius a Sophocle, perito et ipso lyrae cantore [2]), describitur, Reinachius [3]) venustissime sic vertit:

Voilà le seul jouet, qui calme son ennui
et console son coeur. Pris d'un joyeux délire
il chante, et sa chanson s'accorde avec la lyre,
qui verse sa douceur sur lui.
Oui, l'enfant-dieu, que son génie emporte,
a fait naître la voix dans une bête morte.

[1]) Nos: „dat huiden-geplakte lor" cf. ad vs. 136. Adiectivum *ῥινοκόλλητοσ* nil pertinere ad Hymni vs. 48 *διὰ ῥινοῖο χελώνησ* coll. Ichn. vs. 366 *ἄλλων ἔκλεψεν βοῶν που δοράσ* manifestum est. Quomodo denique corio effici potuerit, ut extremae arundinum partes (vel potius arundines) inter se cohaererent, velutsi conglutinatae essent, ut vult Koettgenia pag. 66, me fugit.

[2]) Allegrius l.l. pag. 251: „Sophocle était lui-même un habile joueur de lyre: il avait subi la fascination de la musique et savait quelle puissance émotive réside dans l'aimable jouet d'Hermès.", quae verba multo melius intellego quam Huntii: „The nymph does not seem to have taken much pleasure in Hermes' musical efforts." De Sophocle citharista cf. Vitam et Athen. 20 sq.

[3]) Figaro. Suppl. Litt. 10 Août 1912.

318. *ἀλύων*. Buechererus (Berl. Phil. Woch. 1912. 1107) vult *ἀθύρων*, quam coniecturam Vollgraffius optimo iure improbat (Mnem. 1914. 174), nam *ἀλύειν* proprie dici de omnibus animi commotionibus, sive gaudio sive dolore sive musicis oriantur, quae hominibus sensus eripiant (cf. *ἐξαίρει*); Pearsonius confert glossema (ad Hom. σ 333: *ἦ ἀλύεισ, ὅτι Ϝῖρον ἐνίκησασ τὸν ἀλήτην;*) in Bekk. Anecd. p. 380,20 *ἐπαίρεσθαι καὶ χαίρειν*.

319. *ἐξαίρει. Τῶι τῆσ λύρασ αἰολίσματι „εἰσ ὕψοσ εὐθυμίασ αἴρεται."*, ut verbis Schol. ad Trach. 147 utar.

αἰόλισμα. Praeter Soph. frm. 912 (Pears.) *„μηδ᾿ αἰόλιζε ταῦτα"* (Schol. Theocr. I. 56) et Bekk. Anecd. 361. 2. *„αἰολίζειν· τὸ ποικίλλειν. οὕτω Σοφοκλῆσ."*, iam ab Huntio citata, utique conferendum est adiectivum *αἰόλοσ* Eur. Ion. 499 *ὑπ᾿ αἰόλασ ἰαχᾶσ ὕμνων*, Aristoph. Ran. 248 *χορείαν αἰόλαν ἐφθεγξάμεσθα*, ubi Leeuwenius annotat adiectivum, quod „varius, flexibilis, mobilis" significat, cum saltationi, tum cantui aptum esse.

321 sqq. Dea igitur hebetes illos Satyros ludibrio habuit, ipsam tamen satis incautam id enuntiavisse, *ὅπερ τ᾿ ἄρρητον ἄμεινον*, sero cognoscit. Nam Satyri *δέρματοσ* vocabulo (vs. 307) suspiciosi facti, cum post vs. 321 citharae sonus auditur, non ut paulo ante pavidi — quippe qui causam soni iam intellegant — at superiores sese existimantes deam aggrediuntur, exclamantes eius esse delicias, qui tale furtum committere potuerit, eiusque alumnum, non alium, furem manifestum se praebuisse, quae Satyrorum verba sunt haec:

(1 syllaba)[1]*οψάλακτόσ τισ ὀμφὰ κατοιχνεῖ τόπου,*
πρεπτὰ ⟨δ᾿ αὖ⟩ [1]) *διὰ τόνου φάσματ᾿ ἐγ-*
χωρ᾿ ἐπανθεμίζει·
τὸ πρᾶγμα δ᾿ οὕπερ πορεύω βάδην,
ἴσθι τὸν δαίμον᾿ ὅστισ ποθ᾿ ὅσ
ταῦτ᾿ ἐτεχνήσατ᾿, οὐκ ἄλλοσ ἐστὶν κλ[οπεὺσ
ἀντ᾿ ἐκείνου, γύναι, σάφ᾿ ἴσθι.

[1]) 321—327 ∞ 362—368, quam ob rem recte syllaba interseritur.

σὺ δ' ἀντὶ τῶνδε μὴ χαλε-
φθῆισ ἐμοὶ δὲ δυσφορηθῆισ. [1])

321. Ex Aristophanis Lys. vs. 84 *ἅιπερ ἱερεῖον τοί μ' ὑποψαλάσσετε* et eiusdem fabulae vs. 275 *ἐπεὶ οὐδὲ Κλεομένησ . . . ἀπῆλθεν ἀψάλακτοσ* [2]) apparet *ψαλάσσειν* idem esse ac „contrectare", „tangere", quod verbum et de fidibus percutiendis dici posse Lycoph. Alex. 139 *τοιγὰρ ψαλάξεισ εἰσ κενὸν νευρᾶσ κτύπον* demonstrat. Ergo optime Wilamowitzius supplevit *ἀπροψάλακτοσ* i. e. *sonus antehac numquam fidibus electus*, cf. *ἀπροφύλακτοσ.* Murravius proposuit *ὀρθοψάλακτοσ*, quod de sono acuto, arguto dici posse omnes post Huntium interpretatores, immerito tamen, nisi fallor, contendunt. Nam *ὀρθο-* pro *ὀρθιο-* adhibitum nusquam, quod sciam, occurrit nec lucem affert vs. 249, ubi quid significet adiectivum *ὀρθοψάλακτοσ* [3]), gravibus textus lacunis non iam statui potest.

κατοιχνεῖ τόπον = *οἰχνεῖ κατὰ τόπον*, „sub solo personat."

οἰχνέω = *οἴχομαι.* Redit verbum epicae linguae proprium Soph. Aiac. 564 *τηλωπὸσ οἰχνεῖ, δυσμενῶν θήραν ἔχων*, El. 165 *οἰχνῶ δάκρυσι μυδαλέα*, 312 sq. *μὴ δόκει μ' ἂν | θυραῖον οἰχνεῖν*, apud Aeschyl. Eum. 315, Prom. 122.

322. *πρεπτόσ*, apte conveniens, congruens (cf. *πρέπει*). Redit Ar. Lys. 1298 *πρεπτὸν ἁμὶν κλέωά τὸν Ἀμύκλαισ σιόν*, Aeschyl. Eumenid. 914 *πρεπτῶν ἀγώνων.*

Nostrum ad locum haud dubie refert, ut vidit Wilamowitzius, Hesych. III. p. 369. *πρεπτὰ φαντάσματα· <σαφεῖσ> εἰκονεσ.* (emendavit Stahlius.)

323. *ἔγχωροσ* = *ἐγχώριοσ.* [4]) Cf. Soph. O. C. 124 *πλανάτασ τισ ὁ πρέσβυσ, οὐδ' ἔγχωροσ*, Phil. 692 *οὐδέ τιν' ἔγχωρον κακογείτονα.* Vertatur: „hic loci", „loco, quo nunc adsumus."

ἐπανθεμίζει. Ex Aristoph. Acharn. 992 *ἔχων στέφανον ἀνθέμων*

[1]) Sic legitur in papyro.

[2]) Cf. etiam Cratet. frg. 46 et Soph. frm. 550 apud Pearsonium.

[3]) Num „recta via tangens, petens" i. e. durus, protervus (recht op den man af)?

[4]) *ἔγχωροσ : ἐγχώριοσ* = *ἔντοποσ* (Soph. Phil. 212): *ἐντόπιοσ* (Plat. Phaedr. 262 D.)

apparet ἄνθοσ et ἄνθεμον non multum inter se differre (bloem-bloesem), unde sequitur, ut verbum ἐπανθεμίζειν idem fere valeat ac ἐπανθίζειν (= στέφειν ὡσ ἄνθεσιν. Schol. ad Aeschyl. Choeph. 150, cf. Sept. 933), opp. ἀπανθίζειν (cf. H. Rabius, Rh. Mus. 1908. 137; K. Janderus, Orat. gr. Fragm. nuper repert. p. 40). Sed nostro loco verbum intransitivo sensu adhibitum est: ἐπανθεμίζει = ἐπανθεμίζεται = ἐπανθεῖ (Aristophan. Nub. 1173 τοῦτο τοὐπιχώριον ἀτεχνῶσ ἐπανθεῖ). Legitur in margine papyri „ἐπανθεμίζεται ἐν τ(ῶι) Θέ(ωνοσ), sed cf. metrum vs. 369 —◡—| —◡—|◡— —.

Eleganter hic poeta μετήγαγε τὰσ αἰσθήσεισ πρὸσ τὸ ἐναργέστερον, ut verbis utar Scholiastae ad Aeschyl. Sept. 101 κτύπον δέδορκα, cf. Soph. O. R. 186 παιὰν δὲ λάμπει, Bruhn, Soph. Anhang s. v. Metapher des Glänzens. (Pag. 155.)

Versus igitur vertendi: „Novus quidam sonus sub solo personat, attamen ipso hoc sono imagines hic loci (cum sono) congruentes efflorescunt." i. e. „miris sonis hic resonantibus pro certo iam habeo deum esse lyrae artificem, sed etiam boum raptorem.", quod apertius etiam dicitur versibus, qui sequuntur.

324 sqq. Lepidissima ἀνακολουθία, quam Wilamowitzius (Sonderabdr. pag. 15) sic describit: „In überstürztem Eifer fängt er an: „die Sache, die ich verfolge, verlasz dich drauf", und schon da springt er von der Sache auf den gesuchten Dieb über, denn πρᾶγμα ist nicht Apposition zu dem Inhalte des nächsten Satzes wie in τὸ δὲ κεφάλαιον, wenn das auch aus dieser Art zu reden hervorgegangen ist. Als er dann ἴσθι τὸν δαίμονα sagt, hat er κλοπέα εἶναι im Sinne, springt aber unter dem Einflusz des relativen Zwischensatzes um, so dasz für „er war's" „kein anderer als er war's" eintreten kann, und die Steigerung σάφ' ἴσθι greift am Ende auf ἴσθι zurück, so dasz sich doch ein Satz abrundet."

Verba οὗπερ πορεύω βάδην prorsus sunt corrupta necdum sanata, nam neque Muenscheri [1]) coniectura οὗ πέρι πορεύω ζάλην („um dessentwillen ich gebracht habe Stampfen, Lärm, Aufruhr", cf. Aiac. 351) neque Vollgraffii [2]) τὸ πρᾶγμα δ' οἷπερ πορεύεισ βάδην

---

[1]) Rh. Mus. 1914, pag. 188.
[2]) Mnem. 1914, pag. 176.

(„quod ad rem attinet, quo me iam sensim adducis"), ubi obiecto verbi *πορεύειν* carere non possumus, neque Stahlii[1]) *οὗ πέρι προνεύω βάδην* („wegen der ich mich bücke im Schritt") verisimilia mihi videntur. Latetne fortasse verbum *προσέρπειν*[2]), quod cum adverbio *βάδην* (*sensim*, *pedetentim*, cf. Aristoph. Acharn. 535 *ὅτε δὴ ἐπείνων βάδην*, Lys. 254 *ἡγοῦ βάδην*) satis apte coniungitur? Quod ad *οὗπερ* (= *οὗπερ ἕνεκα*) attinet, eodem modo Sophocles genetivo usus esse videtur atque Trach. 339 *τί δ' ἐστὶ τοῦ με τήνδ' ἐφίστασαι βάσιν;*

325. *ταῦτ' ἐτεχνήσατο*, sc. lyram composuit. *ταῦτα* designat contemptionem. Cf. ad vs. 136.

329. Correxit Wilamowitzius: *χαλε|φθῇισ μηδὲ δυσφορηθῇισ*, Huntius *χαλε|φθῇισ ἐμοὶ μηδὲ δυσφορηθῇισ*, quod metricis causis — nempe fit creticus + ithyphallicus cf. Muenscherum (Rh. Mus. 1914, pag. 188) — et quod librarii vitium facilius sic explicatur, praefero. *δυσφορηθῇισ*, vulgo *δυσφορεῖν*, El. 255 *πολλοῖσι θρήνοισ δυσφορεῖν*, Aeschyl. Sept. 765 *ἐπ' ἄλγει δυσφορῶν*, Supp. 513 *οὔτοι τι θαῦμα δυσφορεῖν*, Rh. 425. Sed cf. variam lectionem apud Xen. Cyrop. 2. 2. 5. *δυσφορούμενοσ* pro *δυσθετούμενοσ* et fragm. Theogn. apud Stobaeum 4. 32. 36.

331. *πρέσ]βειρα* recte si legitur, significat „primaria", cf. Aristoph. Acharn. 883 *πρέσβειρα πεντήκοντα Κωπάιδων κορᾶν*, Lys. 86. *πρέσβειρά τοι, ναὶ τὼ σιώ, Βοιωτία ἵκει ποθ' ὑμέ.*
χειμάζειν. Non eodem sensu atque vs. 267, sed potius *τοῦ ἐνοχλεῖν*[3]) significatione verbum hic adhiberi videtur.

332. De voce *φηλήτησ* Pearsonius apte citat Rh. 217. *Ἑρμῆσ, ὅσ γε φηλητῶν ἄναξ*, C. I. G. 2299 *θερμὸσ ὁ κλέπτησ | ὅσ τῶν φηλητέων ᾤχετ' ἄνακτα φέρων*. Cf. etiam frg. 933 (Pears.) *ὅρκοσ γὰρ οὐδεὶσ ἀνδρὶ φηλήτηι βαρύσ.*

---

[1]) Rh. Mus. 1913, pag. 308.

[2]) *προσέρπω* = *προσβαδίζω*. Cf. O. R. 83 *πολυστεφὴσ ὧδ' εἷρπε*, Eur. Cycl. 423 *πρὸσ ᾠδὰσ εἷρπεν*, 445 *ἐπὶ κῶμον ἕρπειν*, Aristoph. Equit. 673 *ὁ πόλεμοσ ἑρπέτω*.

[3]) Ammon. pag. 146 *χειμάζειν οὐ μόνον τὸ παραχειμάζειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐνοχλεῖν, ὡσ Μένανδροσ Ἡνιόχωι.*

338—340. Leg., quae scripsi pag. 48 sqq. de lyrae compositione.

343—363. Licet nympha indignata omnia infitietur, Satyri pertinaciter in sententia permanent Mercurium esse, qui furtum commiserit (vss. 332—340); magis magisque nymphae pavor et reverentia evanescit, quin etiam et Silenus lascivire et deam lacessere non veretur (cf. 357 sqq.). Vix igitur sibi temperans acriter iis respondet et denuo ira incenditur, denuo in eos invehitur, ... quam aliter autem ac antea; tum erat Dea superba, quae bestias istas iamiam calcibus suis erat obtritura, nunc autem muliercula est facta misera, mendacii convicta, inani effervescens iracundia, quae contra vexatorum petulantiam nil valet. Multo cum singultu sese vel potius alumnum suum defendere conatur: „Nunc demum intellego, qui sitis vos, qui me ludibrio habere in animum inducatis. Attamen si lacessere et maledicere tantopere vos delectat, me potius quam puerum illum innocentem petite. Quod autem ad furtum illud pertinet, *non* commisit, non potest is esse, qui unquam tale quicquam faciat; inopis atque ignobilis est furari, sed deo genitore natus talia non curat. Tu autem semper es puer, semper insolentia exsultas, sed cave, nam veniet tempus, quo minime ridebis, at misere te paenitebit horum dictorum." Profecto sic pueri inter se rixare solent et puella invalida est facta Cyllena, quae voces singultu interruptas pro verbis imperiosis iam edat et sententia revera puerorum propria orationem concludat [1]).

343. *ἄρτι μανθάνω, nunc demum* intellego. Cf. Eur. Alc. 940 *λυπρὸν διάξω βίοτον· ἄρτι μανθάνω.*, Bacch. 1297 *Διόνυσος ἡμᾶς ὤλεσ'· ἄρτι μανθάνω.*, Aristoph. Lys. 1007 *τουτὶ τὸ πρᾶγμα πανταχόθεν ξυνώμοται | ὑπὸ τῶν γυναικῶν· ἄρτι νυνὶ μανθάνω.* Cf. Leeuwenium ad Lys. 71.

344. De verbo *ἐγχάσκειν* = *καταγελᾶν* cf. e. g. Arist. Vesp. 720 [2])

---

[1]) Cf. ad vs. 360 sq.

[2]) Praeterea citat Leeuwenius Vesp. 1007, Acharn. 221, 1197, Eq. 1313, Nub. 1436, Lys. 127, Thesm. 1089.

καὶ μὴ τούτουσ ἐγχάσκειν σοι στομφάζοντασ., Nub. 1436 *σὺ δ' ἐγχανὼν τεθνήξεισ;*

346. *εἰσ ἔμ' εὐδίαν ἔχων*, *„tranquillo mitique erga nos animo"*. Pearsonius citat Prot. fgm. 9 (Diels Vorsokr^2., pag. 540. 3) *εὐδίησ γὰρ εἴχετο*. Imaginem eiusdem esse generis atque verbi opp. *χειμάζειν* (cf. 331) iam monuit Wilamowitzius.

347. *[κά]χαζε*. Redit verbum apud Soph. Ai. 199 *ἁπάντων καχαζόντων*.

350 sqq. Versuum initia, ut ab Huntio sunt suppleta, magis mihi placent quam ea, quae a Pearsonio in editione sunt proposita, quin etiam sensum versuum 353 sqq.:

[σὺ δ' ἄλλοσ' εἴ τ]ισ ἐστι, τὸν κλέπτην σκόπει
[καὶ γῆν ἄ]καρπον· τοῦδε δ', οὗ πλανᾶι δόμουσ,
[αἴν]ει γένοσ κτλ.

me fugere confiteor, sed intellego cum Huntio:

[εἰ δὴ κλοπή τ]ίσ ἐστι, τὸν κλέπτην σκόπει
ἄπορον ἄ]καρπον· τοῦδε δ' οὐ πεινῆι [1]) *δόμοσ.*
[ἄθρ]ει γένοσ κτλ.

Quod ad adiectivum *ἄκαρποσ* de *personis* adhibitum attinet, Koettgenia optimo iure comparat Arist. Equit. 326 *τῶν ξένων τοὺσ καρπίμουσ*.

355. *προσάπτειν*, *adspergere*, cf. Eur. Her. 831 *Ἥρα προσάψαι κοινὸν αἷμ' αὐτῶι θέλει*.

356. *[πρὸ]σ ὅντιν' ἥκει* sc. *προσάπτειν*. Recte Pearsonius nos monet *ἥκει* hic idem esse atque *προσήκειν* citans O. C. 738 *οὕνεχ' ἧκέ μοι γένει | τὰ τοῦδε πενθεῖν πήματ' ἐσ πλεῖστον πόλεωσ*.

357—362. Dubium est, utrum hi versus de Satyris (cf. verba Odyssei ad Satyros in Cycl. vs. 434 *σὺ δέ, νεανίασ γὰρ εἶ κτλ.*) an de Sileno (cf. Cyclop. 227 *πληγαῖσ πρόσωπον φαλακρὸν ἐξῳδηκότα*) sint accipiendi. Satyros barbatos, eosque calvos, in vasis depictos aspici, itaque fieri quidem posse, ut spectent hi versus

---

[1]) Pap.: *τουπαναι δομοσ*, corr. Wilamow.

ad Satyros non est infitiandum, at graviora quaedam tum nobis occurrunt. Etenim summo iure Wilamowitzius scripsit (Sonderabdr. pag. 15 [1])) versu 357 „quamvis iam sis adulescens" et sequenti versu „barba lutea ornatus ut hircus lascivis." satis inepte inter se opponi multoque rectius hocce in contextu sese habere: „Tu quidem semper puer manebis. Nam quamvis iam *senior* sis, tamen etc." Accedit, quod vs. 357 mira interpunctio — legitur in papyro . . . παισ · νεοσ · γαρ . . . . — quodammodo corruptelae indicium esse videtur. His causis permotus vitium latere statuens Wilamowitzius eiecto adiectivo νέοσ substituit πάλαι, de Sileno, qui et ultimus verba fecit (335 sq.), non de Satyris hos versus intellegendos esse ratus. Magis autem mihi arridet Vuerthemii emendatio: ἀλλ' αἰὲν εἶ σὺ παῖσ· σύ γ', ὃσ γέρων [1]) ἀνὴρ κτλ, ubi et deae indignatio pronomine repetito quam aptissime exprimitur. Vollgraffius (Mnem. 1914. 176) textum traditum vindicare conatus sic vertit: „Numquam tu ex pueris excedes? Quamvis enim iam adulescens sis hircina barba ornatus, (tamen adhuc puerorum more) lascivis.", quae versio tum probari posset, si revera *puerorum more* lascivire τὸ χλιδᾶν significaret [2]). Sed *puerorum* notionem ab hoc verbo alienam esse et ex Soph. El. 360 (El. ad Chrysoth.: οὐδ' εἴ μοι τὰ σὰ | μέλλοι τισ οἴσειν δῶρ', ἐφ' οἷσι νῦν χλιδᾶισ.), Aeschyl. Prom. 973 (Herm. χλιδᾶν ἔοικασ τοῖσ παροῦσι πράγμασι. Prom. χλιδῶ; χλιδῶντασ ὧδε τοὺσ ἐμοὺσ ἐγὼ ἐχθροὺσ ἴδοιμι.), prae ceteris autem ex Ruhnkenii annotatione ad Timaei glossam χλιδή luce clarius apparet.

358. Verborum ordinem spectans κνήκωι, quod est substantivum, adiectivo κνηκῶι praefero et arte coniungo verba ὡσ τράγοσ κνήκωι.

Legitur in papyro κνικωι, at cf. vs. 332. Collato fragmento Sophoclis 848 (Pears.): σὺ δὲ σφαδάιζεισ πῶλοσ ὣσ εὐφορβίαι, Ichn. 121 ἐχῖνοσ ὣσ, 155 παῖδεσ ὣσ manifestum est Silenum hic cum hirco ob lasciviam *comparari* hircique nomine iocose

---

[1]) Cf. Plat. Tim. 22 B Ἕλληνεσ ἀεὶ παῖδέσ ἐστε, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν.

[2]) Et barba hircina (sikje) nonne senum magis quam adulescentium esse solet? Minus etiam probabilis videtur Pearsonii interpretatio, qui ut aptam extorqueat sententiam, νέοσ ἀνὴρ anglice vertit: „a full-grown man".

appellari; errant, qui hircum eum quoquo modo imitatum esse hocce ex versu efficiant.

359. *παύου τὸ λεῖον φαλακρὸν ἡδονῇ πιτνάσ.*

Coll. Hom. σ 160 *ὅπωσ πετάσειε μάλιστα θυμὸν μνηστήρων* („das Herz weit machte, mit freudiger Hoffnung schwellte" recte Cauerus vertit [1]) versum explicat Pearsonius: „Desine calvitiem tuam voluptate pandere", i. e. „Os tuum gaudio diutius ne splendeat." Non autem verbum, ut Odysseae loco, sensu translato adhibitum esse puto, sed sic potius credo: post stultam hirci comparationem valde risit Silenus, ut iam diu dea loquente riserat (cf. 344 sq.). Itaque magis etiam nympha irascitur et post barbam calvitiem quoque ludibrio habens aspiciensque rictum Sileni nimio risu diductum atque *patulum*, vix sibi temperans eicit: „Desine tandem glabrum tuum caput deforme voluptate dilatare." („Houd nu toch eindelijk eens op die leelijke kale kop van je door grijnslachen te vertrekken.", ubi aptissime „caput" pro ore usurpatur, cf. „Houd je kop.").

De calvitie ingenuum parum decente annotavit Leeuwenius ad Arist. Pac. 767 sq.: „.... Nempe *ἀνελεύθερόν τι καὶ δουλοπρεπέσ* habere videbatur calvities.", cf. Eur. Cycl. 227. Itaque *φαλακροῦ* mentio convicium est aestimandum.

360 sq. Cum Wilamowitzio et, quod attinet ad interpunctionem, cum Huntio sic lego:

οὐκ εἰσ θεοὺσ τὰ [2]) *μωρὰ καὶ γέλοια χρὴ*
χανόντα κλαίειν ὕστερ'; ὧσ ἐγὼ λέγω.

χανόντα = *εἰπόντα*, cf. Soph. Aiac. 1227 *τλῆναι καθ' ἡμῶν ὧδ' ἀνοιμωκτὶ χανεῖν*, Aristoph. Vesp. 342 *τοῦτ' ἐτόλμησ' ὁ μιαρὸσ χανεῖν*, Aeschyl. Agam. 920 *μηδὲ χαμαιπετὲσ βόαμα προσχάνῃσ ἐμοί*, Call. Apoll. 24 *ἀντὶ γυναικὸσ ὀϊζυρόν τι χανούσησ*. „Tragicae indignationis plenum verbum." (Leeuwen. ad Vesp. 342.)

---

[1]) Minus recte, si quid video, Leeuwenius comparat locutiones, quales sunt *χαλάσαι τὸ μέτωπον* vel *τὸ πρόσωπον διαγαληνίσαι*, nam de frontis *rugis explicatis* hic potius agitur. Cf. Leeuw. ad Vesp. 655.

[2]) Vollgraffii coniectura *τὸν* (Mnem. 1914, pag. 177) necessaria non est.

Utrum praestet legere *ὕστερ᾽; ὡσ* an *ὑστέρωσ*, haud facile dicas. Equidem prius praefero, nam prorsus idem horum verborum mihi color esse videtur atque finis illius epistulae omnium lepidissimae, ubi Theon puer patri horribilia minatur, nisi se quantocius arcessat (Pap. Ox. 1. 119): *Ἂμ μὴ πέμψῃσ, οὐ μὴ φάγω, οὐ μὴ πείνω. Ταῦτα.*

Ταῦτα illud, plenum puerilis iracundiae, nostro loco „*ὡσ ἐγὼ λέγω*" quam simillimum esse quivis, opinor, mihi concedet. Cf. etiam Aeschyl. Sept. 211 (*ὧδ᾽ ἔχει λόγοσ*), Leeuwenius ad Aristoph. Av. 1460.

362sqq. Multis verbis revera nil dixisse Cyllenam, sed sese alumnumque male purgans in Satyros odium tantummodo prodidisse, nos, sed haud minus etiam ipsi Satyri intellegunt. Itaque quidquid adhuc reverentiae supererat — nec erat multum—prorsus abicientes ambagibus atque fictis commentis nil sibi opus esse breviter aperteque denuntiant. (362—369.) Talia si quis comparat cum vs. 237 *νύμφη βαθύζωνε* et vs. 352 *τόπων ἄνασσα τῶνδε, Κυλλήνησ σθένοσ*, quanto minus nunc Satyri nympham suspiciant, non videre non potest. Nec aliter ex reliquis Satyrorum verbis conicimus, quae, quamvis corrupta, huc fere redisse satis intellegimus: „Utrum Iovis filius an alius quis furtum fecerit, nil curamus, nam quisquis iniurias commisit, culpa semper eadem manet. Itaque non prius absistemus, quam boves nobis redditas viderimus." Cf. frg. col. XV. Ultima denique verba Cyllenae vs. 393 *ἤδη με πνίγεισ καὶ σὺ χα[ὶ βόεσ σέθεν* sufficiunt ad docendum pacem nequaquam adesse et semper adhuc nympham a suis deliciis furtum esse admissum obstinate negare.

362. *στρέφου λυγίζου.* Verba ex athletarum lingua ad artem oratoriam translata. Cf. Arist. Ran. 775 *οἱ δ᾽ ἀκροώμενοι | τῶν ἀντιλογιῶν καὶ λυγισμῶν καὶ στροφῶν | ὑπερεμάνησαν.*, ibid. 957 *νοεῖν, ὁρᾶν, ξυνιέναι, στρέφειν, περᾶν, τεχνάζειν*, Acharn. 385 *τί ταῦτα στρέφει τεχνάζεισ τε καὶ πορίζει τριβάσ;* Itaque et adiectivum verbale *ἀπόψηκτοσ* ex palaestrae lingua desumptum esse verisimile duco ad eum significandum, qui ne prostratus quidem iaceat. (Cf. Arist. Nub. 126 *ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἐγὼ μέντοι*

πεσὼν γε κείσομαι.), sed omnium exspectatione celerius surgat et *pulvere deterso* neget se iacuisse. Cf. Arist. Equit. 572 *τοῦτ' ἀπεψήσαντ' ἄν, εἶτ' ἠρνοῦντο μὴ πεπτωκέναι.* Verte igitur: „versutus."

366. *χρῆμα ῥινοκόλλητον*, vid. supra pag. 50 sqq.

387. *πο[ῦ] καὶ βόασ νέμουσι.* De particula *καὶ*, quae est impatienter rogantis atque incredibilia sibi narrari ostentantis cf. vs. 133 atque inprimis ea, quae attulit Leeuwenius ad Arist. Nub. 210 *καὶ ποῦ Κικυννῆσ εἰσὶν οἱ ἐμοὶ δημόται;*

393. *ἤδη με πνίγεισ καὶ σὺ χα[ὶ βόεσ σέθεν.* Cf. Ant. 573 *ἄγαν γε λυπεῖσ καὶ σὺ καὶ τὸ σὸν λέχοσ.* Aiac. 1147 *οὕτω δὲ καὶ σὲ καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα | χειμὼν κατασβέσειε* et de verbo *πνίγειν* translato sensu adhibitum Arist. Nub. 1036 *καὶ μὴν πάλαι γ' ἐπνιγόμην*, Pherecr. fr. 51 *κἢν μὲν σιωπῶ, τείρεται καὶ πνίγεται*, Alex. fr. 16 (*ἀποπνίγομαι*), Epicharm. apud Stob. Flor. XC. 8, Leeuwenium ad Nub. 1036, Vesp. 1039.

Priusquam finem faciamus, restat ut pauca addamus de fragmento iam ante nobis ex Polluce noto, apud quem (1.34) haecce leguntur: *μέρη δὲ κλίνησ ἐνήλατα καὶ ἐπίκλιντρον, τὸ μέν γε ἐπίκλιντρον ὑπὸ Ἀριστοφάνουσ εἰρημένον· Σοφοκλῆσ δ' ἐν Ἰχνευταῖσ σατύροισ ἔφη· „ἐνήλατα ξύλα τρίγομφα διατορεῦσαι σε δεῖται."* Ultima verba, haud leviter sane mutata, lyrae descriptioni inserenda esse Schenklius putavit (Herm. 1913, p. 153 sqq.), nam technicae cuiusdam descriptionis olim partem fuisse ea existimans versum 309 sic explevit:

[ἐνήλατα ξύλ' ὡσ τρίγομφα διατ]όρωσ ἐρείδεται

cui versui facticio hanc addidit explicationem: „Wenn *ἐνήλατα* (attisch *κραστήρια*) die in das Auszengestell der *κλίνη* eingelassenen Hölzer sind, zwischen denen die Gurten ausgespannt werden, Bestandtheile, die bei einem Bronzegestell notwendigerweise abnehmbar sein müssen, aber auch bei einem Holzgestell zum Zwecke der Ausbesserungen u. dgl. mit Vorteil so eingerichtet werden (wobei es gleichgültig ist, ob wir an Querhölzer mit Längsgurten oder Längshölzer mit Quergurten oder einen festen Rahmen mit gekreuzten Gurten denken),

so wüszte ich nicht, welche schlagendere Analogie zu den beiden Stegen der Lyra mit den dazwischengespannten Saiten aufgestellt werden könnte."

Utinam et claram accuratamque versionem vir doctus huic interpretationi addidisset, nam haec omnia haudquaquam mihi liquere non nego. Primum enim Koettgeniae, quae hac de re fuse disputavit, quin etiam varias lyrae lectique antiqui formas nobis delineavit, utique concedendum est „non tantam inter has res similitudinem intercedere, quantam vir doctus dicit." (pag. 69), deinde, quomodo vocabula *διατόρωσ* [1]) et *τρίγομφα* de *calamis* (nam hac ex materia factam esse lyram cum Roberto et Schenklius credit) sint accipienda, non intellego. Itaque Muenscherum, cum Schenklii coniecturam utpote „quam maxime audacissimam necnon veridissimillimam" proscriberet, verum vidisse persuasum mihi habeo.

De *lecto* igitur nostro fragmento agi cum Koettgenia ego quoque credo et quidem de lecto, quamquam certi nil apparet, quo Mercurius ille, brevi spatio maxime adultus, Apolline adveniente refugerit (Hym. Merc. 254 sqq.), ut somnum simularet, fortasse et lyram celaret. Hanc ad inquirendam sive ut Mercurium vi surgere cogeret, Apollo vel alius aliquis (unus ex Satyris?) ligna [2]) tentare et spondam labefactare in animo habuit vel alteri suasit. Quod si probabile videtur et Roberti coniectura Herm. 1912, pag. 559 fortasse haud plane spernenda est:

δεῖ τρίγομφ᾽ ἐνήλατα
<νῦν> διατορῆσαι σ᾽.

ubi adiectivum *τρίγομφοσ* non „tribus clavis affixus" [3]) sed potius „firmissime confixus" [4]) significare videtur.

---

[1]) *διατόρωσ* = 1° *penetrans*, 2° *perforata*, ut compluribus demonstrat exemplis Koettgenia. (pag. 71.)

[2]) Ligna fuisse videntur, quibus institae (*κειρίαι* sive *τόνοι*, cf. Leeuwenium ad Arist. Av. 816) erant intentae. Leg. apud Koettg. pag. 70 sqq. et C. L. Ramsom, Studies in Ancient Fourniture, Couches and Beds of the Greeks, Etruscans and Romans. (Chicago 1905), a Koettgenia laudatam.

[3]) Sic Robertus: „mit drei schweren Nägeln befestigt."

[4]) „firmly-bolted" Pearsonius conferens *τριοάθλιοσ*, *τριγέρων*, *τρίδουλοσ* etc.

CAPUT II.

De tempore, quo scripta sit fabula.

In prolegomenis, quae Huntius primae Indagatorum editioni praemisit, legimus pag. 34: „But in any case our play may reasonably be placed considerably earlier than this (sc. Aristoph. Ranae), if only on account of its metrical strictness.” et eodem fere tempore Wilamowitzius scribit [1]: „je länger ich mich mit den Ichneuten beschäftige, um so fester wird mein Glaube, dasz sie ein Jugendwerk sind.”; eodem denique redeunt, quae apud ultimum Indagatorum editorem [2]) annotata invenimus: „General impressions are less to be trusted, but I think that few will hesitate on consideration to acquiesce in the judgment of Wilamowitz, that the play reflects Sophocles' earlier manner, ... But Wilamowitz finds unmistakable signs of an early date in certain definite peculiarities of technique; ....”

Eiusmodi virorum doctorum rarissimum consensum (nam complures etiam alii nominari possunt), nisi firmis exortum argumentis, fieri non potuisse constat; nihilominus haud inutile mihi visum est, quae alii alias attulere, in unum conferre atque distinguere, quae minoris momenti quaeve maioris, quae denique nulli obnoxia dubitationi censeam.

---

[1]) Sonderabdruck, pag. 15.

[2]) Pearsonius, ed. Cant. I pag. 230.

Cuicumque hac in materia versandum est, ei quam maxime auctor sum, ut auxilio utatur utilissimae dissertationis, qua R. Marquartius [1]) ample et acute nobis demonstrat Cyclopem fabulam ulterioris Euripidis aetatis opus esse iudicandum [2]). Huius libri capite tertio, ubi de *iambicis trimetris* agitur, Marquartius eorum pedum, quos in fragmentis satyricis iam ante Indagatores nobis cognitis invenit solutos, numerum accurate computavit, quo facto hanc nobis proposuit conclusionem [3]): poetas in fabulae satyricae metro minime liberos versatos esse, sed contra ductos quodam inveterato traditionis amore pedum solutionem modice tantummodo adhibuisse, dum et hic novi temporis novi mores invaserint ita, ut ipso in Cyclope [4]) altero fere versu pes solutus inveniatur.

I. Quomodo autem apud Indagatores haec metrica ratio sese habet?

Huntius trimetrorum solutorum hunc nobis dat conspectum [5]): „Of the tribrachs all the instances are in the third (I. 12, V. 14, IX. 6, XIII. 14, 20?) or the fourth (IV. 18, V. 7, VII. 9, IX. 25) foot, and the dactyls all in the third (V. 9, 15, 18, 21, 22, VI. 22, IX. 26, X. 19, XIV. 17). An anapaest in the first foot occurs not improbably in I. 15.", unde efficitur, ut duodeviginti pedes solutos intra versus fere 320 vel duodevicesimo quoque versu solutionem inveniamus.

Nunc autem tabulas a Rumpelio [6]) compositas inspiciamus,

---

[1]) Die Datierung des Euripideischen Kyklops. Inaugural-Dissertation von R. Marquart. Halle a. S. 1912.

[2]) Pag. 59: „hinreichend bewiesen zu haben, dasz unser Satyrdrama gegenüber Kaibel unbedingt der jüngeren euripideischen Epoche zuzurechnen ist."

[3]) pag. 29: „Damit dürfte gezeigt sein, dasz das Satyrdrama durchaus nicht von vornherein so freie Gesetze gehabt hat, wie im allgemeinen angenommen wird, dasz es im Gegenteil als etwas Altmodisch-Mitgeschlepptes erst recht am alten Stil festgehalten hat, bis es ebenso gut wie die Tragödie und die Komödie der Entwickelung auch in metrischer Beziehung hat nachgeben müssen."

[4]) Pag. 25: „Kykl. 596 iamb. Trim., 239 Aufl., also auf ca. 2.5 Verse 1 Aufl."

[5]) Oxyrh. Pap. IX. pag. 35.

[6]) Die auflösungen im trimeter des Aeschylus und Sophocles. (Philologus XXV, 1867.) Eosdem numeros iterum computavit Leeuwenius in

quae ubi de fabulis Sophocleis aguntur, hos nobis praebent numeros:

„Für die sophokleischen dramen ergibt sich folgende reihenfolge: Electra (1136) mit 53, Antigone (916) mit 44, Philoctet (1088) mit 130, Oedipus auf Colonus (1277) mit 84, Oedipus Rex (1197) mit 84, Aias (1032) mit 76, die Trachinierinnen (983) mit 79 auflösungen."

Quorum numerorum summa est haec:

Electra	trim.	quoque	vic. prim. (21.5)	habet	trimetrum solutum.
Antigone	„	„	vicesimo (20.5)	„	„ „
O. C.	„	„	dec. quinto	„	„ „
O. R.	„	„	dec. quarto	„	„ „
Aiax.	„	„	dec. tertio (13.5)	„	„ „
Tr.	„	„	duodecimo (12.5)	„	„ „
Philoct.	„	„	octavo	„	„ „

Quamquam longe abest, ut his numeris argumento usus pro certo confirmare audeam Indagatores fabulam eodem fere tempore, quo Electra et Antigone, scriptam esse, tamen hoc statuere nobis licet fabulam tam paucos trimetros solutos continentem inter *antiquiores* profecto habendam esse; quantum denique temporis spatium inter nostros satyros (trim. 230, trim. sol. 18) et Euripidis Cyclopem (trim. 596, trim. sol. 239) intercedere verisimile sit, neminem opinor fugit.

II. Annotavit Wilamowitzius in Anal. Eurip. pag. 195 Sophoclem Euripidemque in fabulis antiquioribus tum modo versus interrupisse, cum „una cum numeris etiam grammatica continuatio abrumpatur.", postea autem „versus passim sine ea lege frangi." Inde profectus Marquartius (pag. 30 sqq.) Aeschyli Sophoclis Euripidis opera accurate perlegit et versus interruptos annotavit. Quibus computatis eiusmodi versuum apud Sophoclem sunt numeri:

---

commentatione sua „de Aiacis Sophoclei Authentia et Integritate." (Traiect. ad Rh. 1881), quae tabulae ab his paululum quidem differunt, sed de summa rerum consentiunt.

	in diverbio.	in lyr. part.	
Antigone	—	—	= —
Aiax	8	—	= 8
Oed. R.	10	2	= 12
Trach.	2	2	= 4
El.	15	12	= 27
Phil.	32	2	= 34
Oed. Col.	42	14	= 56

In Indagatoribus autem *duos* tantummodo versus abruptos reperimus, utrumque in diverbio, utrumque loco aptissimo se offerentem, quorum alter est vs. 99: *τί; τοῖσι ταύτηι πῶσ δοκεῖ; | δοκεῖ πάνυ.*, alter vs. 198 *σίγα· τί ἔστιν; | οὐ μενῶ! | μέν᾽ εἰ θέλεισ.* Quam simplex igitur sit fabulae nostrae compositio, quantopere cum Sophoclis fabulis vetustioribus congruat, hinc vel maxime apparere censeo.

III. Mirum in modum omnes, quod sciam, interpretatores editoresque neglexisse videntur argumentum haud spernendum. Nam demonstravit Leeuwenius in commentatione sua supra citata, in diiudicando tempore, quo Sophoclis dramata fuerint conscripta, non nihil tribuendum esse argumento e *pausa* deducendo, quae in senariis interdum reperitur post pedem tertium ita, ut in binas partes aequales versus pausa dividantur, quorum versuum numeros dat sequentes (pag. 31 sq.):

Ai. 3 — Ant. 2 — Oed. R. 4 — Oed. C. 4 — El. 3 — Tr. 1 — Phil. 12.

Quam apte huic seriei Indagatores fabula conveniat, ubi *duo* eiusmodi versus occurrunt, quivis videt. Sunt autem hi:

50. *τὰ[σ βοῦσ ἀπάξω σ]οι· σὺ δ᾽ ἐμπέδου [δόσι]ν.*

357. *ἀλλ᾽ αἰὲν εἶ σὺ παῖσ· νέοσ* [1]) *γὰρ ὢν ἀνὴρ*

IV. In utilissima commentatione [2]) de arte et ratione

---

[1]) De hoc adiectivo haud dubie corrupto cf. pag. 59.

[2]) Die Technik des Dreigesprächs in der griechischen Tragödie. G. F. K. Listmann. Darmstadt 1910.

colloquiorum ternarum personarum eodem tempore altercantium Listmannus eiusmodi colloquiorum hanc fuisse formam primitivam nobis probat, ut prior prius cum coryphaeo, cum coryphaeo deinde altera persona colloqueretur. Fusius deinde demonstrat in antiquioribus Aeschyli Sophoclisque fabulis semper et ubique hunc ordinem inveniri. Huius rei tamen in Indagatoribus ne vestigium quidem reperitur; nusquam tres personas, e. g. Silenum, Cyllenam, coryphaeum, quod haud ineptum, immo quam maxime consentaneum fuisset, inter se disputantes videmus, nusquam duas deinceps cum coryphaeo colloquentes audîmus personas, sed potius unam eandemque fuisse Sileni et coryphaei personam iam supra (ad vss. 252sq.) animadvertimus, quod collatum atque coniunctum cum iis, quae sub I et II attulimus, originem fabulae satis antiquam prodere admodum credibile videtur.

V. Chori partes et carmina lyrica haud multum ad tempus definiendum attribuunt. Quidquid autem hinc eliciendum est, Wilamowitzius [1]) nobis praebet sic statuens:

„Das erste Lied der Spürhunde hat keine Responsion; dem entspricht es, dasz die Einzugslieder der Sieben und der Eumeniden, aber auch der Medeia und, ein Zeichen ihrer archaïstischen Stilisierung, der Bakchen mit nicht respondierenden Stücken beginnen .... Die Chorstrophen sind kleine iambische Gebilde, durchaus zu dem Gespräche gehörig. Dafür habe ich nur entfernte Analogien in der Beschwichtigungsrede der Athena in den Eumeniden, die durch vier lyrische Stücke des Chores unterbrochen wird; es folgt Stichomythie, und die durch drei Strophenpaare abgegliederten Redepaare der Sieben, auf die erst Reden des Eteokles und Chorstrophen, dann als Abschlusz Stichomythie folgt. Vergleichbar ist noch allenfalls der Wechsel von Anapästen einer Person mit Chorstrophen, wie im Agamemnon und der Alkestis. *Das alles weist auf ganz frühe Zeit.*"

VI. Quod ad scenae ornatum et apparatum attinet, ex iis, quae ad vss. 196 et 212 annotavi, apparet fragmenta nobis

---

[1]) Sonderabdruck pag. 14.

tradita omnia fere in incerto reliquisse. Prorsus igitur Pearsonio adstipulor, ubi scribit (ed. pag. 231): „nothing is discernible with regard to the scenery of the *Ichneutae* which either supports or tells against the hypothesis of an early date."

VII. Quod ad linguam denique pertinet, qua Sophocles in Indagatorum fragmentis usus est, iam statim cum fabulam legi, conspicere mihi videbar complura et vocabula et dicendi formulas, quae, quamvis rariores, tamen non solum apud tragicos sed praecipue apud Aristophanem hic illic inveniebantur. Quae omnia postea quam accuratissime excerpsi, hanc tamen mihi imponens legem, ut ea tantummodo seligerem, quae alibi vel apud Sophoclem ipsum, vel apud Aeschylum Euripidem Aristophanem rarissime legerentur, exciperem autem ea, quae, utpote omnis poeticae linguae communia, sine ullo discrimine apud omnes scenicos scriptores saepius occurrerent. Quid autem in animo habebam? Admonitus studiis istis Platonicis, statistica [1]) quae dicuntur, quibus — nec sine lucro sane — viri docti ordinem dialogorum statuere conati sunt, admonitus et Marquarti analysi, quam „zur Sprache des Kyklops." composuit (l. l. Cap. II), quae omnia clare nobis demonstrant non solum unum eundemque scriptorem variis suae vitae temporibus suum sibi stilum modumque dicendi habere, sed etiam varios eiusdem aetatis artifices permultis vocabulis formulisque uti solere, quae simul omnes prae ceteris in deliciis habeant ita, ut eodem vocabulo rariore diversis locis bis terve reperto, veridissimile non sit locos, ubi hoc vocabulum legatur, eodem fere tempore compositos esse, — hoc igitur mente tenens sperabam et nunc fortasse nobis simili comparatione instituta indicium quodcumque temporis, quo scripta sit fabula, oblatum iri.

Eiusmodi esse indicem per se satis infirmum minime me fugiebat, sed tamen — ut in iudiciis testi vel maxime suspecto fidem habeas, si testimonium eius a ceteris testibus non abhorreat — sic et ego eiusmodi tabellae indicium sperabam

---

[1]) „Sprachstatistik" cf. quae de tota hac methodo eiusque sectatoribus docte dilucideque disputavit amicus meus W. E. J. Kuiper in libro suo „de Lysidis dialogi origine, tempore, consilio." (Zwollae 1909.)

me non esse decepturum, sed prioribus argumentis congruentia fortasse allaturum, quae spes, si quid video, me non frustrata est. Sunt autem, quae excerpsi haec [1]):

1) *αὐτόχρημα* (vs. 38?)	cf. Arist. Eq. 78. (vid. ad. pag. 9.)
2) *παρεῖναι ἐν λόγωι* (vs. 34)	„ „ Acharn. 513, Av. 30, (Eur.) Rh. 149.
3) *προσβιβᾶν λόγωι* (vs. 166)	„ „ Eq. 35, Av. 426.
4) *προσγελᾶν* (metaph. vs. 291)	„ Aeschyl. Eum. 253.
	Aristoph. Pac. 600.
5) *τί μάτην* (vs. 171)	„ „ „ 95.
6) *χανεῖν* (= *εἰπεῖν* vs. 361)	„ Aeschyl. Ag. 920.
	„ Soph. Aiac. 1227.
	„ Arist. Vesp. 342.
7) *ὢ ὤ, σέ τοι* (vs. 61)	„ „ Av. 274.
8) *ἀπονοσφίζειν* (vs. 131)	„ Soph. O. R. 480.
9) *βαθύζωνοσ* (vs. 237, 263)	„ Hom. (passim).
	„ Aeschyl. Pers. 151.
	„ „ Choeph. 167.
10) *ἐφίστασθαι βάσιν* (vs. 168)	„ Soph. Trach. 339.
	„ („ Ai. 42.)
11) *ἰχνοσκοπεῖν* (vs. 7)	„ Aeschyl. Choeph. 227.
	„ Soph. Ai. 997 } *ἐξιχ-*
	„ „ Tr. 271 } *νοσκοπεῖν*

---

[1]) Et nonnulla apposui, quae, iam antea apud epicos poetas obvia, etiam in Indagatoribus nec usquam alibi leguntur, quod talia quoque antiquitatem prodere mihi videntur. Non addidi *ἅπαξ λεγόμενα*, ex quibus, quam sit diversa verborum copia nostra in fabula, de rebus musicis venaticisque agente, reperta atque in tragoediis obvia, siquis adhuc dubitabit, facile apparebit, sed ad tempus originis accuratius definiendum ea quicquam prodesse nego. Sunt autem haec:

5 *ἀμολγάσ*, 33 *ἀγρώστηρ*, 319 *αἰόλισμα*, 247 *ἀλκάσμα*, 160 *ἀνανοστεῖν*, 122 *ἀποθυμαίνειν*, 153 *ἀπορ(ὑπορ)ρυπαίνεσθαι*, 363 *ἀπόψηκτοσ*, 167 *διακαλεῖσθαι*, 177 *δράκισ*, 205 *ἐξυπελθεῖν*, 322 *κατοιχνεῖν*, 117 *κυκησμόσ*, 167 *κυνορτικόσ*, 269 *λικνῖτισ*, 219 *νέβρινοσ*, 249 *ὀρθοψάλακτοσ*, 112 *παλινστραφήσ*, 317 *παραψυκτήριον*, 212 *πέδορτοσ*, 88 *ῥινηλατεῖν*, 367 *ῥινοκόλλητοσ*, 163 *συμποδηγετεῖν*, 171 *ὑποκλάζειν*, 156 *χρυσόφαντοσ*.

12) *καί* (*καὶ σὺ χαὶ βόεσ* vs. 393)	cf. Soph. Ai. 1147.
	„ „ Ant. 573.
13) *οἰχνεῖν* (vs. 321)	„ „ Ai. 564.
	„ „ El. 165, 313.
14) *παντελήσ* (vs. 13)	„ „ Ant. 1016, 1063.
	„ „ O. R. 930.
18) *πόρτισ* (vitulus, vs. 6)	„ Hom., hymn. Cer. 174.
	„ Soph. Trach. 530.
19) *πρέπειν* (sonare, vs. 225)	„ Aeschyl. Ag. 333.
20) *στέφειν* (vs. 45)	„ „ Sept. 50, 264.
	„ Soph. Ai. 93.
	„ „ Ant. 431.
	„ „ El. 53, 458.
21) *τώσ* (vs. 39)	„ Aeschyl. Sept. 484, 637.
	„ „ Hik. 70, 678.
	„ („ Ai. vs. 841.)
22) *εἰ θέλεισ* (vs. 199)	„ Soph. El. 585, Phil. 730.
23) *χρῶι* (*ἐν*, vs. 91)	„ „ Ai. 786.
24) *ἀρίζηλοσ* (vs. 70)	„ Hom.
25) *κάπη* (vs. 7)	„ Hom.
26) *σθένοσ* (*Κυλλήνησ*, vs. 252)	„ Hom. N 248.
27) *ἥκει* (= *προσήκει*, vs. 356)	„ Soph. O. C. 738.
28) *πρεπτόσ* (vs. 322)	„ Aeschyl. Eum. 914.
	„ Arist. Lys. 1298.

Quid autem haec nos docent?

1°. Haud pauca inveniuntur, quae cum Aristophanis comoediis antiquioribus valde congruere videntur (1—7).

2°. Dictio tragica vel Aeschyleis vel antiquioribus Sophoclis fabulis simillima est (4, 6, 8—23).

3°. Pauca etiam epicae linguae tantummodo propria leguntur (24—26).

4°. Duo sese offerunt vocabula, quae, quamquam rariora, et in fabulis recentioribus reperiuntur.

Iam supra monui eiusmodi conspectui per se magnam fidem non esse habendam, nunc tamen compluribus aliis argumentis eodem ducentibus omnia, quae in tabula mea collegi, neutiquam inter se cohaerere, sed quidquid affinitatis et

similitudinis adesse videatur, mero casui attribuendum esse equidem numquam credere potero. Potius igitur sic statuo:

Praeter cetera testimonia priorem Indagatorum originem aperte indicantia et *linguam haud uno nomine* speciem prae se ferre dictionis, qua inter antiquissimas fabula nostra sit habenda.

Omnibus ergo, quae supra attulimus, consideratis sic concludere nobis licet: Indagatores fabulam sine dubio a Sophocle *iuniore* esse conscriptam, quibus autem annis fabulam composuerit, non liquere et posse quidem ceteris, quae Sophoclis nunc exstent, fabulis esse nostram antiquiorem, fortasse tamen et dictione et versuum compositione apparere eam a prima Aiacis et Antigonae origine exiguo aut nullo fere temporis intervallo distare [1]).

[1]) Argumentum a nonnullis e Pacuvii fragmento (apud Cic. de Div. II. 133) deductum, quo demonstrent Euripidem iam Indagatores notam habuisse, nullius pretii est habendum, ut recte animadvertit Pearsonius (ed. pag. 230): „If it is rightly inferred from Pacuvius that Euripides imitated this play (sc. Indagatores) in the Antiope, that circumstance would not assist the determination of the date, since it is certain that the Antiope was one of the latest plays."

Neque hoc in capite argumento esse possunt iambici tetrametri acatalectici (291 sqq.), qui antiquioris an recentioris temporis indicia sint habendi, statui non potest.

CAPUT III.

De Indagatoribus et Cyclope inter se comparatis.

Difficultatibus, quae in textu interpretando sese offerebant, expositis, excussis iis, quae ad tempus fabulae definiendum pertinere videbantur, operae pretium mihi videtur comparationem inter duas, quas nunc habemus, fabulas satyricas instituere atque, quatenus aut arti aut historiae nova fragmenta in lucro sint ponenda, investigare. Qua cum quaestione alteram illam, omnibus graviorem, quidnam lucis et Cyclops et Indagatores in *tragoediae originem* inquirentibus praebeat, quem ad fontem indicia satis rara nos ducere videantur, arte cohaerere vix est monendum. Itaque statim postquam nostra fragmenta publici iuris sunt facta, consentaneum est quemvis huius quaestionis studiosum quam maxime operam dedisse, ut satyros Sophocleos Euripideosque inter se comparando, suggerendo ex altera et supplendo, quae in altera abessent vel abesse viderentur, de Sileni origine antiquissima et de genuina Satyrorum natura quam plurima conferret. Eiusmodi autem conamina vana esse et fragmenta nobis servata nimis esse dissipata et interrupta, quam ut certi quicquam inde statuere possimus, pro certo habeo, cum praesertim omnis investigatio hocce a versu proficisci debeat, quo *capri* nomine Silenus a Cyllena compelletur (vs. 358); errant autem, ut iam scripsi, qui hunc versum sic explicent, ut Silenum (vel Satyros) capri specie antiquitus ornatum fuisse *hinc* eliciant; ob las-

civiam enim Silenum increpari iam supra monui [1]). Neque Wilamowitzio adstipulari possum, quem nimis demonstratum ivisse censeo, cum nostrum locum quasi ansam prehendens totam illam de tragoediae origine quaestionem revolveret. Nam omnia, quae verissima sane et suo ingenio dignissima disseruit, ad tragoediae originem permulta, nihil fere ad Indagatores afferunt [2]). Haec igitur, gravissima quidem, sed a nostro proposito satis longe distantia, missa faciamus.

Sed ad artem mentemque Sophoclis Euripidisque melius perspiciendam, ad satyrorum genus, fabula a Cyclope plane diversa nunc illustratum, melius cognoscendum, comparationem inter Cyclopem et Indagatores institutam multum adiuvare mihi persuasum habeo, ut in sequentibus demonstrare conabor.

Initium faciam ab iis personis, quae omnibus in satyris praecipuas egerunt partes, quibus igitur poetas maximam dedisse operam verisimile est, Satyros aio et Silenum. Quod ad Sophoclis Silenum attinet, ἀναλύσει, quam primo capite dedi, hoc spero me probavisse Sophoclem nobis virum depinxisse alacrem, urbanum, qui modica avaritia affectus, — cui vitio facile ignoscimus, — lepida deinde superbia Satyros, socios suos, despiciens atque excitans, mox etiam Cyllenam ludibrio habens, semper nos delectet, numquam nos offendat.

Sed nunc ad Euripidem transeamus. Initio Cyclopis Silenus Sophoclei Apollinis fungitur vice et prologo docet spectatores, quae scitu sunt necessaria. Haec tamen omnia non simplici sermone nobis enarrantur, at dictione prorsus tragica declamantur, qua cum forma et Silenum et res ab eo expositas parum congruere quivis intellegit; itaque, quamquam lepidi aliquid in prologo inesse haud negem, factum est, ut Silenus, qualis hoc loco ab Euripide inducitur, nec Sileno illi, cuius mores a Sophocle tam facete sunt descripti nec Sileno, qualem cetera in fabula Euripides nobis profert, similis videatur, at verba eius heroi potius errores suos epico carmine referenti conveniant.

Sunt autem hocce in prologo nonnulla, quae aptissimam nobis praebent occasionem duos Silenos, Euripideum et

---

[1]) Cf. pag. 59.

[2]) Sonderabdruck. pag. 16—28.

Sophocleum, inter se comparandi, quod mirari non debemus, nam facile credimus omnes omnium poetarum Silenos — ut etiam Satyros — certa quaedam communia habuisse nec poetas hanc materiem ad libidinem suam tractavisse, sed Silenos suos eiusmodi artibus ornavisse, quibus semper quamvis decantatis spectatorum plausus moveretur. Apud utrumque igitur videmus Silenum suas res gestas laudibus efferentem; Euripides autem πλατὺν γέλωτα magis spectans Silenum γελωτοποιόν nobis depinxit, qui statim ab initio iactatione satis inepta, quam ne ipsum quidem credere apparet [1]), auditorum cachinnos commovere studuit; Sophocles contra Silenum paulo urbaniorem et a nimia arrogantia liberum, quae revere perpetraverit, nobis suo tempore narrantem ante oculos ponit atque hominem quam stultam et ridiculam hominis imaginem ostendere mavult [2]).

Et hic Silenum Satyrosque servos [3]) esse apparet, quae similitudo clarius etiam indicat, quantopere fabulae inter se discrepent. Etenim apud Sophoclem Silenus servus quidem est, sed numquam servilis, apud Euripidem hoc prologo excepto nusquam non ostentat animum quam maxime illiberalem et spurcum, apud quem quicquam honesti probique frustra requiras.

Praeterea extra prologum tertium quoddam invenimus, quod ansam nobis det ad comparationem instituendam. Ulixes enim rogat Silenum (vs. 134), ut ex copia cibariorum aliquid sibi dare velit, cui statim respondet Silenus (vs. 138):

σὺ δ' ἀντιδώσεις, εἰπέ μοι, χρυσὸν πόσον;

qui versus cum Ind. vs. 45 sqq. [4]) quam maxime congruit. Eundem auri amorem Ind. vs. 156 animadverti supra annotavi. Sed Euripides satis sibi non duxit Silenum suum, ut apud Sophoclem, auri quodam amore affectum esse, at etiam vini cupiditate flagrantem nobis eum depinxit. Sic nummorum

---

[1]) Lepidior sane est iocus Aristophanis, qui (Ran. 51) non ipsum Dionysum, sed Xanthian servum, domini fabulas audientem, ad spectatores verba: „κᾆιτ' ἔγωγ' ἐξηγρόμην." clamantem inducit.

[2]) Cf. Ind. vss. 148 sqq. et Cyclop. vss. 2 sqq.

[3] Cycl. 24.

[4]) Legantur, quae scripsi pag. 10.

amator festivissimus potator est factus obscenissimus. Cf. e. g. Cyclop. 163—175.

Cum Cyclops scenam intravit, Silenus, pavidissimus factus, iucundo, at etiam improbo mendacio culpam suam ad Ulixem eiusque comites temere transfert (Cycl. 233—241; 262 sqq.). Sub finem denique (540 sqq.) eum potissimum electum esse, qui Cyclopi pocula praebeat, non est mirandum, nam ebriosum esse Silenum iam satis superque videramus. Haec fere sunt, quae a Sileno Euripideo in scena aguntur, quae omnia si paucis verbis complector, sic concludo: Euripidem, cum Silenum more satyrorum in fabulam suam introduceret, hoc praecipue egisse, ut scurram perridiculum nobis fingeret, malis stultisque vitiis nimis praeditum, qui spurcis ineptiis nautis cauponibusque gratissimus cachinnis theatrum complere potuerit; eruditiores autem quin illum, quem apud Sophoclem vidimus Silenum, magis fortasse riserint, minus profecto fastidiverint, equidem non dubito.

Indagatores esse fabulam satyrorum nomine quam maxime dignam, ubi principes partes agantur a Satyris, ubi Satyri gestibus actionibus saltationibus omnium spectatorum animos ad se attrahant, nemo, opinor, infitiabitur. Vivunt hercle illi Satyri ingenio inculti et expertes omnis humanitatis, temere quidquid eis in mentem venit et dicentes et facientes. Optime profecto Sophocli successit, quod sibi proposuerat, ut animalia nobis depingeret medium quiddam habentia inter homines mente praeditos et bestias omnis rationis expertes vel ut verba subtilis poetae Gallici [1]) exscribam:

„La satyrodie déroule un tableau de l'espèce, de l'homme pris pour animal, c'est-à-dire ni bon, ni méchant, élémentaire, sans volonté que sa satisfaction immédiate, sans passions que les basses, sans conscience qu'une peur maligne des forces obscures, sans personnalité que des traits simiesques."

Quomodo apud Euripidem haec omnia sese habent?

Sub finem prologi Silenus nobis Satyrorum adventum nuntiat, quos paulo post sub *σικιννίδων* strepitu Cyclopis pecora

[1]) Péladan. Le troisième masque. (Figaro, Supplément littéraire 10 Août 1912.)

domum agentes et carmen canentes conspicimus. Hanc parodum certe non minus esse aptam quam Sophocleam constat, cum praesertim carmen a Satyris cantatum suavissimum sit et magna arte compositum, cuius carminis initium est hoc:

Πᾶι μοι γενναίων πατέρων,
γενναίων δ' ἐκ τοκάδων,
πᾶι δή μοι νίσηι σκοπέλουσ;
οὐ ταῖδ' ὑπήνεμοσ αὔρα
καὶ ποιηρὰ βοτάνα;
δινᾶεν δ' ὕδωρ ποταμῶν
ἐν πίστραισ κεῖται πέλασ ἄν-
τρων, οὗ σοι βλαχαὶ τεκέων.

Hosce versus hac de causa exscribo, quod tam perspicue mihi vitium indicare videntur, quo, mea quidem opinione, pulchrum hoc carmen laborat: omnino enim forma dictioneque Satyrorum propria Satyrisque solis apta carere id puto. Fac e. g. nymphis quibusdam vel pastoribus hoc carmen cantandum fuisse et facile intelleges nil fere mutari debuisse; quid, quod ad tragicam fabulam vel optime quadrare potest ne verbo quidem mutato?

Non igitur est carmen artificis, qui Satyrorum mores semiferos atque omni cultu alienos illustrare voluit, at potius poetae, qui carmen dulce componere studuit, quinam essent cantores, non curans. Obiciat mihi fortasse aliquis hoc quidem poetae non posse vitio dari, quod ea, quae animo conceperit, eleganti forma enuntiet et alios esse, nunc et olim, homines in scena poetica lingua utentes, alios homines trito sermone inter se colloquentes. Statim concedo. Eosdem autem Satyros una eademque in fabula intra paucorum versuum spatium modo carmine melle dulciore spectatores delectare, modo iocos obscenos et ridere et narrare ineptum esse censeo.

Vss. 180—187 Satyros pro natura sua nimis eruditos de rapta Helena Troiaeque obsidione omnia comperta habere apparet: quid, quod historiam etiam turpiter mutant (vss. 180 sq.) et suis verbis sententiam nobis plane Euripideam obtrudunt (vs. 186 μηδαμοῦ γένοσ ποτὲ | φῦναι γυναικῶν ὤφελ' — εἰ μὴ 'μοὶ μόνωι.)?

Cetera Satyrorum verba praeter libertatis desiderium iam prius nobis expressum et iustum adversus Cyclopem odium

de moribus Satyrorum propriis nihil novi afferunt: de canticis [1]) autem, quamvis eleganter compositis, prorsus eadem valent, quae ad vss. 41—82 disputavimus. Sub finem tantummodo aliquid reperimus, quod, non omnis vitae expers, nativam Satyrorum indolem quodammodo nobis referre videtur. Etenim vs. 590 sqq. ad oculum Cyclopis effodiendum omnia parantur et incitat Ulixes Satyros, ut mox strenuos sese viros praebeant, quibus verbis intrepidi, periculo scilicet nondum praesente, respondent Satyri:

596 *πέτρασ τὸ λῆμα κἀδάμαντοσ ἕξομεν.*

Nonne haec sunt verba Sophocleis Satyris digna? [2]) Alacres deinde canticum canunt plenum impetus, quod dictione nimis ornata liberum mansit (608—622).

„At nunc, *θῆρεσ*," sic deinde Ulixes, „tacete, iam opus est aggrediendum, *ἄγε νυν ὅπωσ ἅψεσθε τοῦ δαλοῦ χεροῖν | ἔσω μολόντεσ· διάπυροσ δ' ἐστὶν καλῶσ.*"

Et tandem magno cum gaudio et apud hosce Satyros, omnium rerum peritos et eruditos, pristinos mores adesse cognoscimus. Nam ut erant modo impavidi, sic nunc, periculo instante, trepidare atque haesitare incipiunt, quem tamen metum callidi, ut sibi videntur, dissimulare sciunt. Itaque qualescumque causas fingunt, ne periculo obiciantur: nemo sese in fronte collocari patitur, hic subito claudicat, alterum nescio quo modo visu privatum esse apparet, omnes denique student, ut periculum effugiant. Tandem igitur veri sunt Satyri facti, tandem puerili *θηρῶν* fraude atque pavore delectamur, austeri Euripidis ingenii a satyrorum laetitia tam alieni paulisper immemores, quo magis sane dolemus iam vs. 646 nativum Satyrorum leporem perisse, ubi chorus, ignaviam suam libere confessus, novum auxilium praebet .... Orphei incantationem [3]).

Sed haec hactenus. Omnia autem, quae de Satyris cogno-

---

[1]) 356—375; 483—503; 511 sqq.

[2]) Cf. Ind. 146.

[3]) *ἀλλ' οἶδ' ἐπῳδὴν Ὀρφέωσ ἀγαθὴν πάνυ, κτλ.*

Eiusdem prosapiae sunt chori verba vs. 654: *δράσω τάδ'. ἐν τῷ Καρὶ κινδυνεύσομεν.*

vimus, si reputamus, huc fere summa nostrae disputationis redit Satyros Euripideos non ut apud Sophoclem vera esse animalia, quae ferarum moribus atque natura per montes saltusque libere vagantia omnium animos ad se attrahant, sed homines potius scurriles, qui, hominum eruditionis haud expertes, miris „*ἀναχρονισμοῖσ*" risum captant, quibus tamen nihil fere est agendum [1]), nihil fere saltandum, qui denique si abessent, ipsa fabula nihilo minus procederet.

Itaque si concludo Sophoclem in hoc quoque argumento Euripide certe praestantius et satyris aptius rem egisse, a vero non procul abesse mihi videor.

Inter eos, qui de *Ulixe* varii varia disputaverunt, prae ceteris huius personae strenui exstiterunt laudatores J. O. Schmidtius et Marquartius. Alter enim Euripidem tragico, quin etiam nimis tragico, colore quasi depinxisse Ulixem neque se solum, sed poeseos Graecae parentem hac re superavisse [2]) pro certo affirmat, alter heroem sic nimiis laudibus effert: [3]) „.... Odysseus besitzt alle seine erhabenenen Eigenschaften, mit denen er bei Homer begabt erscheint..... er tritt uns hier ganz in homerischem Kolorit entgegen als der Mann edlen tatenstolzen Mutes, fürsorglich für seine Gefährten, der auch eine gewisse Frömmigkeit in seinen Gebeten an den Tag legt."

Hisce multo magis mihi placet Hahnius, qui, et ipse mores Ulixis nobis probare conatus, sic scribit [4]): „Es ist ein deutlich durchgeführter Zug, den Euripides dem Helden leiht, dasz er ihn von dem Ehrgefühl des Teilnehmers an einem

---

[1]) Ad inceptum perficiendum comites sibi potius adhibendos fuisse Ulixes vs. 650 rectissime animadvertit.

[2]) J. O. Schmidt, de Ulixis in fabulis satyricis persona. Comment. Ribbeckianae pag. 114.

[3]) Marquart. l. l. pag. 11, quamquam grandibus sui herois titulis ipse obtrectat paulo infra addens (pag. 12): „Wenn trotz allem Odysseus mehr den Eindruck eines Abenteurers macht, so ist das eben aus der Umgebung der Satyrn zu erklären, die seine tragische Würde herabstimmen muszten." Concedo, *φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί.*

[4]) F. Hahne, Zur ästhetischen Kritik des Euripideischen Kyklops. Philol. 1907. pag. 39 sqq.

groszen und erfolgreichen Kriege durchdrungen sein läszt. (197 sqq; 277; 290.) Zum andern verleiht er ihm, wie Homer, das Gefühl der Kameradschaft und Verantwortlichkeit für das Schicksal seiner Gefährten (477).”

Haec vera esse non nego; cum tamen, quae ipse narrat Ulixes, accurate perlego atque perpendo, non dubito, quin unice rectum sit habendum Bernhardyi iudicium, quod, paucis quidem verbis, perspicue sic exposuit [1]: „Odysseus macht den Eindruck einer *verblaszten tragischen Figur;* seine Haltung verräth nur schwach das Selbstgefühl und die Kraft des heroïschen Zeitalters.”

Cyclopem esse *ὑβριστήν τε καὶ ἄγριον οὐδὲ δίκαιον* tertio quoque verbo nobis in mentem revocari non est, quod miremur, immo Homeri imitatori facile ignoscimus; quod Cyclopem etiam *παιδεραστήν* et deformi Sileni amore captum finxit (580 sqq.), id quoque a cetera fabula non abhorret, quod autem, eadem usus arte, quam modo apud Satyros adhibitam vidimus, monstrum illud omnis humanitatis cultusque expers Sophistarum fecit sectatorem, qui sententiis haud Cyclopeis, at prorsus *σοφιστικαῖς* rationem suam exponat, hoc, aio, quamquam risum profecto movit et aliquantum leporis in hac parte (vs. 316 sqq.) inesse libenter concedo, subtilis esse artificis mihi non videtur, at potius imitatoris ingenio abusi, qui locum Homeri ipsa brevitate praestantissimum (Hom. Od. IX 273 sqq.) nimia verbositate et ambagibus depravaverit.

Restat, ut paucissima addamus de Cyclopis fabulae compositione, quam infelicissimam nominare equidem non dubito. Nam quid infelicius ab Euripide excogitari poterat quam Satyros atque Silenum pulchrae Homeri narrationi inserere, deinde autem isdem nullas fere partes tribuere, unde factum est, ut otiose plerumque adstent? Gravissimum mihi hoc videtur, sed etiam alia nonnulla invenimus. Ineptum esse Ulixem comitesque se non foras proripuisse, cum ex vss. 375 et praecipue 480 sqq.:

---

[1]) Grundrisz II². pag. 476, quam interpretationem Wilamowitzii praefero, qui „herois” tragici *τύπον* in Ulixis persona ab Euripide ludibrio haberi, ingeniosius quam verius opinor, coniecit.

καίτοι φύγοιμ' ἄν, κἀκβέβηκ' ἄντρου μυχῶν·
ἀλλ' οὐ δίκαιον ἀπολιπόντ' ἐμοὺς φίλους,
ξὺν οἶσπερ ἦλθον δεῦρο, σωθῆναι μόνον.

luce clarius sit Polyphemi speluncam patere et Ulixem libere commeavisse, nemo negabit. Et quis non videt Euripidem longissima narratione (vs. 381 sqq.) modum excessisse et hic iterum Homero longe minorem se praebuisse? [1]) Sic alii alia commemorarunt [2]) et etiam commemorabunt. Nobis autem haec sufficiunt ad confirmandam nostram opinionem Cyclopis compositionem infelicissimam esse nominandam.

Sed iam satis de utraque fabula disseruisse mihi videor. Itaque omnibus, quae exposui, perpensis sic statuo:

Sophoclem non invitum Indagatores scripsisse, sed ipsum ex hac materie magnam voluptatem percepisse et hoc magnopere studuisse, ut ex vetere argumento novam fabulam componeret, in qua omnia bene procederent, suas cuique partes attribueret, personis fabulae vitam inspiraret, omnia denique laetitiae luce perfunderet;

Euripidem, pro indole sua satyris minus apta, argumentum ex Homero sumptum qualicumque modo scenae adaptavisse, huic deinde carmina quaedam venusta, at ceterae parti non congrua necnon aliquot sententias, ut Euripideas, ita hinc alienas addidisse, denique ne auditorum risus desit, hanc compositionem obscenis iocis condivisse.

Sic utriusque opus sese habet: utri praemium sit attribuendum, equidem si iudex essem, non dubitarem, nam *Sophoclem* omni ex parte laurea dignum se praestitisse quam persuasissimum habeo. Hinc autem sponte sequitur nostrum de

[1]) Rectissime Patinius (Etudes sur les tragiques grecs II, pag. 299 sq.): „Ulysse vient raconter qu'il l'a vu dévorer deux de ses compagnons. Il fait chez Homère (ι 287 sqq.) le même récit et trace le même tableau, mais, on s'en souvient, en quelques traits rapides, énergiques, terribles, auxquels ni Virgile, ni même Ovide, n'ont cru devoir ajouter. Euripide, avec moins de goût a rapetissé la scène par un long détail de la façon dont s'y prend pour tuer, dépecer, cuire et rôtir ses victimes, celui qu'il appelle, ce mot résume l'esprit du morceau et en contient la critique, le cuisinier de Pluton (vs. 396)."

[2]) Cf. Marquartius l.l. pag. 10 sqq.

satyris iudicium, adhuc infeliciore exemplo fundatum, quodammodo esse mutandum [1]), nam drama satyricum quod dicitur, interdum fuisse summae elegantiae et urbanitatis Indagatorum fragmenta, quamvis corrupta, clare quidem docuerunt.

---

[1]) Cf. e. g. Patin. Et. pag. 298: „il montre que non seulement l'impureté, nous l'avons vu et le reverrons, mais l'ordure étaient comme les assaisonnements reçus d'un genre, destiné à délasser du spectacle tragique, avec les honnêtes gens, le brutal populaire, d'un genre que son nom seul, et la présence obligée du personnage sans pudeur, sans vergogne qui le lui donnait, invitait, autorisait à tout oser."

INDEX

editionum disputationumque ad Indagatores pertinentium [1]).

Allègre, Les Limiers, Revue des Etudes Anciennes 1913, pag. 237.

Beyschlag de Wilamowitzii commentatione agit B. Bayr. Gymn. 1913, pag. 378.

Bignone, Studi critici su gl' Ichneutai di Sophocle, Atti della R. Accademia della scienze di Torino 1913, pag. 774.

Bucherer, Zu Sophokles Ichneutai, Berl. Phil. Woch. 1912, pag. 1107; Berl. Phil. Woch. 1913, pag. 577 (de Roberti versione et Terzaghii editione); Berl. Phil. Woch. 1913, pag. 1027 (de Diehlii supplemento Soph.); Berl. Phil. Woch. 1914, pag. 1 (de Roberti versione, ed. II).

Cerini, Per un nuovo dramma satirico, Riv. Teatr. Ital. 1913.

Diehl, Supplementum Sophocleum, Bonn 1913.

Fincke, Woch. für Klass. Phil. 1915, pag. 673 (de Koettgeniae libro).

Frickenhaus, Die altgriechische Bühne, Straszburg, Trübner 1917, pag. 13.

Harrison, Sophocles Ichneutae col. IX 1—7, Essays and Studies presented to William Ridgeway, Cambridge 1913, pag. 136.

Hoerich, Eine Deutsche Ergänzung von Sophokles Spürhunden, Neue Jahrb. 1917, pag. 235.

---

[1]) In hoc indice componendo plurima debeo Koettgeniae, quae omnia, aut fere omnia (nam paucissima neglexit), quae usque ad annum 1914 prodierunt, iam ante me diligenter conquisivit l.l. pag. 110 sq.

Hunt, Ox. Pap. IX, 1174; Tragicorum Graecorum fragmenta papyracea, Oxonii 1912.

Koerte, Literarische Texte mit Ausschlusz der christlichen, Archiv für Papyrusforschung 1913, pag. 559.

Leo, apud Rob., Herm. 1912, pag. 538 [1]).

Koettgen, Quae ratio intercedat inter Indagatores fabulam Sophocleam et Hymnum in Mercurium, qui fertur Homericus, Bonnae 1914.

Kurfess, De Sophoclis Indagatorum fontibus, Mnemosyne 1913, pag. 111.

Maas, Zu den neuen Klassikertexten der Oxyrhynchos-Papyri, Berl. Phil. Woch. 1912, pag. 1075; Deutsche Literaturzeitung 1912, pag. 2781 (de Huntii tragicorum Graecorum fragmentis papyraceis); Berl. Phil. Woch. 1913, pag. 225 (de Ox. Pap. IX).

Marquart, Die Datierung des Euripideischen Kyklops, Halle a. S. 1912, pag. 60.

Muenscher, Zu Sophokles' Ichneutai, Rh. Mus. 1914, pag. 170.

Pearson, Notes on Sophocles Ichneutae and Eurypylus, Class. Rev. 1912, pag. 209; The fragments of Sophocles, Cambridge 1917, Vol. I, pag. 224.

Péladan, Le Troisième Masque, Figaro (Suppl. Litt. 10 Août 1912).

Reinach, Les Satyres Limiers, Revue Bleue 1912, pag. 65; Un drame inédit de Sophocle, Revue de Paris 1912, pag. 449; de Huntii edit. (Ox. Pap.) Revue des Etudes Grecques 1913, p. 98.

Robert, Aphoristische Bemerkungen zu Sophokles' *Ἰχνευταί*, Herm. 1912, pag. 536; Die Spürhunde, ein Satyrspiel von Sophokles, ed. I, Berl. 1912; ed. II, Berl. 1913.

Roemer, Miszelle, B. Bayr. Gymn. 1913, pag. 239.

Roszbach, Bemerkungen zu griechischen Papyri, Berl. Phil. Woch. 1912, pag. 1460.

Schenkl, Zu den *Ἰχνευταί* des Sophokles, Herm. 1913, pag. 153.

Shorey de Wilamowitzii commentatione agit Class. Philol. 1914, pag. 98.

Stahl, Miszellen, Rh. Mus. 1913, pag. 307.

Stamm de Roberti versione et Diehlii supplemento agit Woch. für kl. Phil. 1913, pag. 1253, 1276.

Stearns, The recently discovered Ichneutai of Sophocles, Class. Journ. VIII. 6, Chicago 1912, pag. 259.

Terzaghi, Sofocle, I Cercatori di Traccie, Firenze 1913.

Tudeer, De vocabulis, quibus, Sophocles in Ichneutis fabula Satyrica usus est, scripsit L. O. Th. Tudeer, Helsingforsiae 1916.

Valgimigli, Osservazioni sul dramma satiresco di Sofocle recentemente reperto, Athenaeum 1913, pag. 345.

Viljoen, Soph. Electra 1074 sqq. Class. Quart. X. 1—6.

Vollgraff, Ad Sophoclis Indagatores, Mnemosyne 1914, pag. 81, 165; Mnem. 1918, pag. 37.

Wecklein, Zu den Ἰχνευταί des Sophokles, B. Bayr. Gymn. 1912, pag. 437.

Von Wilamowitz-Moellendorff, Die Spürhunde des Sophokles, Neue Jahrb. 1912, pag. 453.

Praeterea in libello meo conscribendo inspexi aut tetigi has commentationes et editiones:

Allen and Sikes, The Homeric Hymns, London 1904.

Allen, Homeri Opera, vol. V, Oxonii 1912.

Bruhn, Soph. Anhang, Berlin 1899.

Diels, Die Fragmente der Vorsokratiker, Berlin.

Ellendt-Genthe, Lexicon Sophocleum.

Gemoll, Die homerischen Hymnen, Leipzig, Teubner 1886.

Hahne, Zur ästhetischen Kritik des Euripideischen Kyklops, Philol. 1907.

Van Hoorn, De vita atque cultu puerorum monumentis antiquis explanato, diss. Amstelod.

Jander, Oratorum graec. Fragmenta nuper reperta.

K. Kuiper, De discrepantiis Hymni Homerici in Mercurium, Mnem. 1910, pag. 1 sqq.

De vocabuli τρόποσ vi atque usu per saecula VI et V., Mnem. 1908, pag. 419 sqq.

W. E. J. Kuiper, De Lysidis dialogi origine, tempore, consilio, Zwollae 1909.

Van Leeuwen, Aristophanes, cum proleg. et comment., Lugd. Bat.
Commentatio de Aiacis Sophoclei Authentia et Integritate, Traiect. ad Rh. 1881.
Enchiridium dictionis epicae, Lugd. Bat. 1908.
Ad Aristophanis Pacis 73 Scholion, Mnem. 1907, pag. 271 sq.
Listmann, Die Technik des Dreigesprächs in der griechischen Tragödie, Darmstadt 1910.
Monumenti d. Instituti II.
Patin, Etudes sur les tragiques grecs, Vol. II, Euripide, Paris 1894.
Rabe, Rhein. Mus. 1908, pag. 137.
Ramsom, Studies in Ancient Fourniture, Couches and Beds of the Greeks, Etruscans and Romans, Chicago 1905.
Reinach, Repertoire des vases peints grecs et étrusques, I.
Rumpel, Die auflösungen im trimeter des Aeschylus und Sophocles, Philol. 1867.
Schmidt, De Ulixis in fabulis satyricis persona, comment. Ribbeckianae.
Vürtheim, Ὁ Αἰτναῖοσ μέγιστοσ κάνθαροσ, Mnem. 1907, pag. 335 sq.
Zeitung, (Archeol.) 1844.

ADDENDUM.

Ad versum 122 (pag. 22) P. Groenenboom, v. c., confert Herodam III. 41 κάθηθ' ὄκωσ τισ καλλίησ κάτω κύπτων. (Mnem. 1918, pag. 166.)

THESES.

Memoris momenti sunt.

1° Maia wil erva.

2° Hoe zou zij er eenigszins mee in verband hebben, zij die kan [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] zeed verraade. [illegible] en niet waarschijnlijk is. [illegible] 11 [illegible]

3° Ze zou overbluffeld. magna superbia ze zoude verklaren hebben [illegible] niet nadrukkelijk weder van de zwakkere, uitvoerlijk alles gezocht. (3 49 [illegible]

93) Poterat audita accusatione ~~[illegible]~~ [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] superbias, ut nobis [illegible]. Deinde Sophocles eq. [illegible] Satyros nulla demum [illegible], non [illegible] ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ [corr.] illum [illegible], [illegible] Nisi [illegible] [illegible] respondeunt. [illegible] [illegible] [illegible], vel aliunde hoc [illegible] [illegible] nec [illegible], ut ante nunc res [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] non vanas audaces, Quo vere Satyros dixisse [illegible] [illegible] Hoc mihi [illegible] quaestioni videtur. Numquam Sophocles [illegible] Satyris inferiorem ostendere potuisset, nisi talis antea Satyros decepisse ~~[illegible]~~ esset.

Lepidum certe fuisset, si Mercurius Sophoclem etiam hoc commonu[illegible] ut altricem ipsam suam deciperet, lepidius tamen nunc mihi [illegible] [illegible] illa, verborum illud proelium inter Satyros verum perspicuum atque magis magisque audaces sese praebentes et Cyllenam in angustias [illegible] et quovis modo Satyros eludere conantem.

THESES.

I.

Propriam Satyrorum indolem elegantius, sed etiam verius nobis exhibuit Sophocles in Indagatoribus quam in Cyclope Euripides.

II.

Immerito Allegrius (Revue des Et. Anc. 1913, pag. 258) de Cyllenae persona contendit: „Elle est plutôt une utilité qu'un personnage véritable."

III.

Sophocles in Indagatoribus fabula Cyllenam nobis depinxit Mercurii furti haud ignaram.

IV.

Verbum *αἰολίζειν* in Soph. fgm. 912 (ed. Pears., Nauck 826) idem esse ac „Aeolia lingua loqui" („to speak in Aeolic") Pearsonio non concedo.

V.

Singulis Cyclopibus plures tribuisse Homerum uxores ex Od. *ι*. 114 sq. non apparet.

VI.

Thucydides V, 108.

ΜΗΛ. Ἀλλὰ καὶ τοὺσ κινδύνουσ τε ἡμῶν ἕνεκα μᾶλλον ἡγούμεθ' ἂν ἐγχειρίσασθαι αὐτοὺσ καὶ βεβαιοτέρουσ ἢ ἐσ ἄλλουσ νομιεῖν, ὅσωι πρὸσ μὲν τὰ ἔργα τῆσ Πελοποννήσου ἐγγὺσ κείμεθα, τῆσ δὲ γνώμησ τῶι ξυγγενεῖ πιστότεροι ἑτέρων ἐσμέν.

Eiciatur glossema *ἢ ἐσ ἄλλουσ* ex mala textus interpretatione ortum.

VII.

Eur. Alc. 379 Alcestis exclamat:

Ὦ τέκν', ὅτε ζῆν χρῆν μ', ἀπέρχομαι κάτω.

ubi *stulte* Scholiastes annotat ad verba „*ὅτε ζῆν χρῆν μ'*,": *νέαν οὖσαν δηλονότι.*

Ibid. 1106. *Χρή, σοῦ γε μὴ μέλλοντοσ ὀργαίνειν ἐμοί.*

Coll. Soph. O. R. 335 pro *ἐμοί* conicio *ἐμέ.*

VIII.

In schol. ad Homeri K. 350:

ἀφραδίῃσι] ἀθεωρησίαι· ἀπείρηκται γὰρ ἀπὸ διανοίασ εἰσ αἴσθησιν, ὁμοίωσ τῶι „τὸν δ' ἐφράσατο προσιόντα."

Propono: *ἀφραδίῃσι] ἀθεωρησίαι, ἀπειρίαι, ἀπῆκται γὰρ κτλ.*

IX.

Antiqui Athenienses, etiam eruditiores, *haud minus* quam plebecula hodierna diris descriptionibus et cruentis horridisque spectaculis valde oblectabantur.

X.

Immerito P. Zondervan, v. d. (Nieuw Theologisch Tijdschrift 1918, pag. 131 sqq.) ex interiore quadam ratione, quam intercedere inter historiam de Johanne Baptista (Ev. Matth. 14, 1—12; Marc. 6, 14—29) et ea, quae narrantur apud Herodotum IX 108 sqq. luce clarius demonstravit, Evangelii scriptorem Herodotum notum habuisse eiusque ad exemplum suam narrationem composuisse conclusit.

Equidem potius sic statuo et Herodotum et Evangelii scriptorem ex narratione quadam antiquissima, quae vulgi in ore vivebat, suo quemque modo hausisse, unde factum est, ut permulta communia, multa etiam discrepantia in utraque narratione nobis occurrant.

XI.

Propertii elegia II, 28 neque ex tribus carminibus, neque ex tribus partibus constat, sed unum est continuum carmen habendum, in quo si versus 33—46 inseruntur post versum secundum, omnia recte et modo vere Propertiano procedunt.

XII

In Catulli carmine LXV versus 9—14 sunt delendi.

XIII.

Cerinthus, Sulpiciae amator, obscurus fuit iuvenis Graecus.

XIV.

Carmen, quod legitur apud Tibullum (ed. Teubn.) IV. 7, Sulpiciae est attribuendum, non igitur cum Tibulli elegiis, quae antecedunt, coniungendum.

XV.

Hor. Sat. II. III. 234:
In nive *Lucana* dormis ocreatus,
lego cum Peerlkampio: „In nive *tu cana*".

XVI.

In libro Aeneidos IV non contigit Virgilio, ut Aeneae personam legentibus probaret.

XVII.

Virgil. Aeneid. II. 396 verba „haud numine nostro" Jahnius in editione Weidmanniana *perperam* sic explicat: „Ablat. Abs. = ohne dasz die Gottheit die unsrige d. h. für uns, uns günstig war."

XVIII.

Het initiatief tot vervolging van Alcibiades naar aanleiding van het Hermocopidenproces is genomen door de *oligarchen*: vervolgens evenwel hebben *oligarchen* en *democraten* in samenwerking Alcibiades ten val gebracht.

XIX.

De aanleiding tot het Hermocopidenproces was niet het afslaan der koppen of eene verminking der aangezichten van de Hermen, doch het *afslaan der φαλλοί* door jongelieden in feeststemming bedreven.

XX.

Onbewezen en onwaarschijnlijk is Ed. Meyer's opvatting (Gesch. des Alt. III, pag. 496), dat reeds van het *eerste begin* van den Attischen bond af voor verreweg de meeste staten inzake de processen, voortkomende uit ξυμβόλαια te Athene gesloten, alleen Attische rechtbanken competent waren.

XXI.

In het psephisma van Phaselis (C. I. A. II. 11):
ἂμ μὲν Ἀθήνησι ξυμβόλαιον γένηται πρὸσ Φασηλιτῶν τινα, Ἀθήνησι τὰσ δίκασ γίγνεσθαι παρὰ τῶι πολεμάρχωι καθάπερ Χίοισ, καὶ ἄλλοθι μηδὲ ἁμοῦ· τῶν δὲ ἄλλων ἀπὸ ξυμβόλων κατὰ [ ] ξυμβολὰσ πρὸσ Φασηλίτασ τὰσ δίκασ εἶναι κτλ.
is de juiste aanvulling der lacune niet τὰσ πρὶν (Gilbert, Fraenkel), doch τὰσ Χίων (Sauppe).

XXII.

Het oordeel, of liever de veroordeeling, welke Büdinger (Sitzungsberichte der Phil.-Hist. Classe der kais. Ak. Wien 1880, pag. 386 sqq.) over Diodotus en zijne redevoering (Thucyd. III. 42—48) uitspreekt, is alleszins onrechtvaardig.

XXIII.

Ondanks het feit, dat stellige gegevens omtrent de medeplichtigheid van Caesar en Crassus aan het complot van Catilina van het jaar 66/65 niet bestaan, lijkt 't mij zeer waarschijnlijk, dat zij van deze samenzwering niet onkundig geweest zijn en zich er zeer voorzichtig, achter de schermen, mee hebben ingelaten.

XXIV.

Het is noodzakelijk, dat de lectuur van het Nieuwe Testament in het oorspronkelijk algemeen in het leerplan onzer Gymnasia voor de hoogere klassen wordt opgenomen.

XXV.

Ten zeerste gewenscht ware het, dat aan studenten onzer Universiteiten, bestemd om later het leeraarsambt te bekleeden, reeds tijdens hunne studiën door eene systematische detacheering aan inrichtingen van Hooger en Middelbaar Onderwijs eenige praktische vorming voor hun toekomstigen werkkring werd bijgebracht.